











Dilectissimo magistro H. Wallon
pie gratus discipulus
T. Deltour

DE SALLUSTIO

CATONIS IMITATORE.

PARISIIS. — EX TYPIS W. REMQUET ET Cie,
via dicta Garancière, 5.

DE

SALLUSTIO

CATONIS IMITATORE

SEU

QUID, IN SCRIPTIS C. CRISPI SALLUSTII, AD IMITATIONEM M. PORCII CATONIS CENSORII REFERRI POSSIT.

Facultati Litterarum Parisiensi hanc thesim proponebat

F. DELTOUR,

OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS, IN LYCEO BONAPARTE PROFESSOR.




PARISIIS

APUD A. DURAND, BIBLIOPOLAM,

via dicta des Grès, 7.

1859.



MEMORIÆ

OPTIMI MAGISTRI ET SOCERI

J. RINN

Hoc grati amoris et vivacis desiderii pignus

D. D. D.

F. Deltour.

DE

SALLUSTIO CATONIS IMITATORE

PROOEMIUM.

De Sallustio Catonis imitatore dicturus, si quibus rem jamdudum actam agere videor, eos oratos velim ne me indicta causa damnatum habeant, neve statim affirment nihil aliud mea commentatione posse approbari, quam hoc ipsum omnibus satis notum, scilicet Sallustium Catonis imitatorem exstitisse. Nisi enim scribenti plus justo mea placet causa, nova me argumenta reperisse credo, quæ statuant qualis fuerit illa imitatio; eamque multo latius quam vulgo judicatur, patuisse demonstrent. Nempe veterum testimoniis ac judiciis, quæ infra afferentur, non unice standum existimavi, et superesse præterea aliqua via visa est,

qua illa nobis clariora et manifestiora fieri possint. Nam desiderantur quidem, præter Sallustii præcipuum opus, illa Catonis scripta, quæ potissimum imitanda noster delegerat, et quæ, neglecta pridem et ignorata, primus, ea ipsa ætate, gravissimis laudibus extulit, et æqualium suorum (forsan ipsius Sallustii), admirationi proposuit Cicero : scilicet orationes, quarum Tullius amplius centum quinquaginta se legisse scribit (1), et *Origines*, quas interiisse, quum historiæ, tum litterarum causa, acerbe dolendum est. Exstant tamen et orationum et *Originum* fragmenta, pauciora quidem, et præsertim, si nonnulla excipias, breviora et minutiora ; sed quorum pleraque ad recognoscendum Catonis sermonem, et totum dicendi genus ac colorem, et oratorias virtutes ipsumque ingenium multum pro sint ; ita ut historicorum judiciis plurimum addant, et qui ea non legerit, veram illustrissimi et apud Romanos præcipui viri effigiem sibi repræsentare non possit. Igitur illa mihi satis amplam tractandæ meæ quæstionis materiam ministrabunt ; ac (nisi fallor), per eorum inspectionem et cum Sallustii scriptis aut fragmentis comparationem, licebit proprio judicio decernere ad quæ pertinuerit illa Catonis imitatio toties scriptori exprobrata, quam vero inde, non in verbis tantum, sed in toto scribendi tenore ipsisque sententiis, et componendæ

(1) *Brutus*, 17.

historiæ more, cum Catone similitudinem hauserit Sallustius; ita ut tamen quid distet alter ab altero deinde statuendum sit. Ea autem disputatio concludetur quærendo quid Sallustio et nocuerit et profuerit illa imitatio (1).

(1) In fragmentis Catonis recensendis, præter veteres scriptores, adhibui hæc opera :

Meyerus, *Oratorum romanorum fragmenta.* Editio auctior et emendatior, 1842; Krause, *Historicorum romanorum fragmenta*, Berolini, 1833; Aug. Wagener, *M. Porcii Catonis Originum fragmenta, emendata, disposita, illustrata,* Bonnæ, 1849; Albertus Bormann, *M. Porcii Catonis Originum* libri septem, Brandenburgii, 1858; præterea Alb. Lion *Catoniana,* 1826.

Quod autem ad Sallustium attinet, præter editionem nostri Burnouf, multum mihi profuit, præsertim propter fragmenta *Historiarum*, quam protulit anno 1856, in-8, Lipsiæ, Friedericus Kritzius, professor Erfurtensis, et præterea ejusdem opus anno 1853 datum : *C. Sallusti Crispi historiarum fragmenta, pleniora, emendatiora, et novo ordine disposita, et commentariis illustrata.*



CAPUT I.

Testimonia veterum.

De Catonis Censorii a C. Sallustio imitatione multa sæpe veteres jactaverunt. Affert Quintilianus (1) epigramma quo florentissimus rerum auctor hac de causa vehementer incessitur :

> Et verba antiqui multum furate Catonis,
> Crispe, Jugurthinæ conditor historiæ.

Verborum hic Catonianorum notatur imitatio, vel, ut ait scriptor Sallustio infensus, furtum inverecundum. Nec aliud in eodem carpebat Asinius Pollio, vir fastidiosi et putidi ingenii, qui nec T. Livii, nec Cæsaris, nec ipsius Ciceronis scriptis pepercit. Auctor est Suetonius (2) librum ab eo compositum fuisse, quo ille Sallustii scripta, ut nimia priscorum verborum affectatione oblita, reprehendebat, ac præterea Ateium Prætextatum, nobilem rhetorem latinum, Sallustii et deinde ipsius Asinii præcepto-

(1) *Inst. orat.* VIII, 3, 29.
(2) *De illustr. grammat.*, 10.

rem, furtorum historici adjutorem referebat, ut qui antiqua verba et figuras solitus fuerit colligere Sallustio. Rem vero falsam affirmat Suetonius, miraturque eam credidisse Asinium, qui sciret « nihil « aliud sibi suadere Ateium quam ut noto civili« que et proprio sermone uteretur, vitaretque « maxime obscuritatem Sallustii et audaciam in « translationibus. » Unde patet ipsi rhetori non probatum fuisse illum discipuli sui morem, et ab eo veterum imitationi tributum quod non satis plana et perspicua sit Sallustii oratio, figurisque audacioribus luxuriet.

Cui judicio stetisse Augustum nemo mirabitur, quum per Suetonium (1) acceperimus eum « reconditorum verborum fœtores, » ut ipse aiebat, semper vitavisse, præcipuamque eam curam duxisse, ut « sensum animi quam apertissime exprimeret. » Itaque vir qui patris adoptivi subtilem et dilucidam orationem sibi exemplar proposuerat, pariterque *antiquarios* et inanis elegantiæ amatores fastidiebat, sic M. Antonium insectatus est, nunc exoletarum vocum, nunc Asiaticæ eloquentiæ aucupatorem : « Tuque dubitas Cimberne Annius an Veranius « Flaccus imitandi tibi sint, ita ut verbis quæ Cris« pus Sallustius excerpsit ex *Originibus* Catonis uta« ris? an potius Asiaticorum oratorum, inanibus « sententiis, verborum volubilitas in nostrum ser-

(1) *Cæsar Aug.*, c. 86.

« monem transferenda? » Ille autem C. Annius Cimber, Gallus, ut videtur, aut Britannus rhetor fuit, quum propter insolentium barbarorumque verborum affectationem, tum propter fratrem veneno interemptum famosus; et in eum Virgilius epigramma scripserat, quod, corruptum sane et nobis, præter universam sententiam, perobscurum, laudavit Quintilianus (1). Veranius autem Flaccus aut rhetor ille est, de quo meminit Macrobius (2), aut intelligendus est Verrius Flaccus, celeber grammaticus, C. et L. Agrippæ præceptor, laudatus a Suetonio (3) et a Gellio, qui librum ejus *De obscuris Catonis* citat (4). Quicumque autem ii sint, constat certe Augustum non minus quam Asinium Ateiumque usitatam a Sallustio Catonianæ linguæ imitationem perspexisse et reprehendisse.

In eamdem sententiam verbis multo vehementioribus et plane contumeliosis venit Lenæus, Pompeii Magni libertus, qui, teste eodem Suetonio (5), ægre ferens quod Sallustius patronum suum « oris improbi, animo inverecundo (6) » scripsisset, histo-

(1) *Inst. orat.* VIII, 3, 28.
(2) *Saturn.* III, 2.
(3) *De ill. gramm.*, 17.
(4) *Noct. att.* XVI, 14; XVII, 6.
(5) *De ill. gramm.*, XV.
(6) Burnouf legendum censebat *oris probi.* Quum autem optimus sensus efficiatur voce *improbi*, quæ in codicibus est, nos eam servandam credimus. Pompeii enim simulantiam et falsitatem hoc loco notasse videtur Sallustius, ut qui semper aliud ore prætulerit, aliud mente habuerit reconditum. Confer Cic. *ad diversos* VIII, 1, 7 : « Solet Pom-

ricum acerbissima satira laceravit, et, inter multa alia convicia, eum vita scriptisque monstrosum dixit, præterea « priscorum Catonis que ineruditissimum furem. » Ita ut, si Lenæo credendum, non tantum nimia et improba, sed etiam ineptissima fuerit illa imitatio.

Isti autem sententiæ multum obstat alius grammatici, Gellii, opinio, qui Sallustium ut « proprietatum in verbis retinentissimum (1) » laudat; unde inferendum sit ex veterum imitatione magnam nostri orationi virtutem accessisse, eumque, dum ipsos latini sermonis fontes adibat, sincerum et, ut ita dicam, nativum verborum usum sibi vindicasse. Quem tamen quum alibi idem Gellius (2), « verborum novatorem » dicat, nullo modo hoc judicium cum priore pugnat. Nam sæpissime ad priscorum vocabulorum opem confugit qui novus esse studet; duo autem illa, priscas voces usurpare, et novas proferre, quanquam prima specie inter se diversissima, in scriptore bono et docto mire congruunt. Imo vero, quod docuit illustrissimus apud nostrates et scribendi magister et scriptor (3), linguæ fractæ

peius *aliud sentire et loqui,* neque tantum valere ingenio, ut non appareat quid cupiat. » *Ad Attic.* IV, 15, 7 : « Pompeius fremit, queritur, Scauro studet, *sed utrum fronte an mente dubitatur.* »

(1) *Noct. att.* X, 20.

(2) *Ibid.* I, 15.

(3) M. Villemain, *Eloge de Montaigne.* « Il sert à rajeunir la littérature qui commençait à s'épuiser; il s'impose aux plus célèbres écrivains... » Vide etiam Ciceronem (*de Oratore*, III, c. 38) : « Tria

et effetæ ex veteris sermonis verecunda et apta usurpatione plurimum coloris et succi, et quædam quasi juventæ viriditas accedere solet.

Non ad verba vero figurasque tantum pertinuit illa Catonis imitatio. Eam res ipsas et sententias complexam fuisse testantur qui, dum severitatem illam orationis et gravissimam virtutis prædicationem cum vita et moribus hominis conferunt, eas eodem Catonis æmulandi studio in scripta Sallustii defluxisse significant. Certe ad illam Catonis Censorii æmulationem alludebat M. Varro, dum scribebat : « C. Sallustium, scriptorem seriæ illius et « severæ orationis, in cujus historia *notationes censo-* « *rias fieri atque exerceri* videmus, in adulterio de- « prehensum ab Annio Milone, loris bene cæsum, « et, quum dedisset pecuniam, dimissum (1). » Quum autem in fragmentis *Annalium* nuperrime repertis, scriptor Sallustii æqualis, Granius Licinianus, nobiles jam hujus *Historias*, et totam rerum scribendarum rationem carpit, ipse in Sallustio Catonis imitationem vel imprudens notat. Locum totum

sunt in verbo simplici quæ orator afferat ad illustrandam atque exornandam orationem : aut *inusitatum* verbum, aut *novatum*, aut translatum. Inusitata sunt prisca fere ac vetusta, et ab usu quotidiani sermonis jamdiu intermissa, quæ sunt licentiæ poetarum liberiora quam nostræ; sed tamen raro habet etiam in oratione poeticum aliquod verbum dignitatem. »

Quintilianus quoque hæc dixit : « Verba a vetustate sumpta auctoritatem antiquitatis habent, et quæ intermissa sunt gratiam novitati similem parant. » (*Inst. orat.*, I, 6, 39.)

(1) In Gellio. *Noct. att.*, XVII, 18.

attuli : « Sallustii opus nobis occurrit ; sed nos, ut « instituimus, moras et non urgentia omittemus. « Nam Sallustium non ut historici sunt, sed ut ora- « torem legendum. Nam et tempora reprehendit sua, « et delicta carpit, et convicia ingerit, et dat in cen- « sum loca, montes, flumina et hoc genus alia, et « culpat et comparat disserendo (1). » Ea vero vitu- peratio, multis sane laudibus potior, non magis Sallustii *Historias* decebat quam Catonis *Origines*, quarum eadem ratio fuit ; ita ut ex earum quoque

(1) *Gai Grani Liciniani Annalium quæ supersunt*. Pertz. Berolini, 1857. Ex libr. XXXVI.—Hæc autem : « Nam Sallustium non ut *historici sunt*, sed ut oratorem legendum, » *philologorum Bonnensium heptas* (*Grani Liciniani quæ supersunt emendatiora*. Lipsiæ, 1858.) ita correxit : « Nam Sallustium non ut *historicum scribunt*, sed ut oratorem legendum. » Aliquot autem aliis locis, illoque potissimum innixa, decernit : « Quos scripserat Licinianus Annales, ex eis Antoninorum ætate virum mediocriter doctum, suis admixtis annotationibus, ea excerpsisse quorum nunc tenemus reliquias. » Judice enim *heptade*, non potuit ita scribere de Sallustio Licinianus, sed is tantum qui Frontonem et multos alios hujus ætatis Sallustianos oratores cognosset. De tota quidem quæstione disputandi non hic locus. Quod autem ad Sallustium attinet, quum ille solitus sit multas orationes suis historiis admiscere, ideoque eum, auctore Justino, reprehenderit alius rerum scriptor, Trogus Pompeius, non video cur Licinianus quoque, præsertim Sallustii laudum obtrectator, eum oratoribus non adscripserit. Sic apud Græcos Thucydidi, quem Sallustius sæpe, ac præcipue in orationibus, imitatus est, multam operam dederat Demosthenes, oratorias virtutes consecuturus. Num vero recipienda sit Bonnensium editorum emendatio *scribunt*, dubium. Mihi quidem videtur ipsa Pertzii lectione sensus aliquis effici posse : « Nam legendum est Sallustium, ut oratorem, non ut sunt historici. » Dure quidem ; eodem tamen fere modo dixit Cicero : « Obliviscendum scelera » (*pro Scauro fragm*. c. 3) ; « viam quam nobis ingrediendum sit » (*de Senect*. 2). Forsan et legendum *sciunt*.

similitudine ista vitia, vel potius virtutes, hausisse videatur Sallustius.

Res autem tot testimoniis declarata nunc ipsa scriptorum comparatione exploranda est; et primum de verbis et toto orationis more dicendum.



CAPUT II.

Quæ in Sallustio ad linguæ orationisque Catonianæ imitationem pertineant.

Quæ fuerit Sallustio verba scribendi ratio disputare vix utile quidem, ac præterea difficillimum et periculosæ aleæ plenum. Quum enim multi dictitent Sallustium, veteres imitandi studio, formas jam obsoletas, ut accusativos *omnis*, *mortalis*, superlativos *maxumus*, *minume,* gerundia *accipiundis*, *perdundæ*, voces *lacrumæ*, *æstumare, volgus, volnus, vorsus,* et permulta alia, curiose revocavisse, ii forsan non satis perspexerunt ea diu apud Romanos libera aut dubia permansisse, nec tantum a Sallustio, sed ab aliis aureæ ætatis scriptoribus non semel fuisse adhibita. Auctoribus enim et Quintiliano, et Gellio, et Servio, et aliis grammaticis, multa ex illis sibi quoque vindicavit Virgilius : sæpe accusativos in *is,* superlativos in *umus* reposuit ; sæpe, quum *s* littera media longarum vel subjecta longis

esset, geminavit, ut *caussæ*, *cassus*, *divissiones* (1). Nec Sallustii tantum et Virgilii fuit ille mos; sed eum « Ciceronis temporibus paulumque infra » viguisse ex eodem Quintiliani loco constat. Etiam in libris de *Institutione oratoria* (I, 7. 21) legimus, « *optimus maximus* ut mediam *i* litteram, quæ vete« ribus *u* fuerat, Caii primum Cæsaris inscriptione « tradi factum. » Quum autem per Suetonium pateat ad Caligulam spectare verba Quintiliani (2), credendum sane sit totam Ciceronis Augustique ætatem scripsisse *maxumum*, *verissumum*, quod vulgo nulli, nisi Sallustio et interdum Virgilio, tribuitur. Quamvis autem doceat Quintilianus « *vortices*, *vor*« *sus* ceteraque ad eumdem modum, primum Scipio« nem Africanum in *e* litteram secundam vertisse (3); » quamvis ex his nominibus *arbos*, *labos*, *vapos*, etc. exclusam fuisse litteram *s* moneat; quædam tamen ut *honos*, *vortex*, etiam in Cicerone, Livio aliisque occurrunt. Quæ igitur horum in Sallustio tribuenda vetustatis affectationi, quæ vero ipsi æqualium ipsius mori?

Præterea animadvertendum non semper sibi in scribendis illis nominibus constitisse Sallustium.

(1) Quintilianus, *Inst. orat.* I, 7, 18. Gellius, *Noct. att.* XIII, 20. Servius, ad *Æneid.*

(2) Suetonius (*C. Cæsar*, XXII) : « Compluribus cognominibus assumptis (nam et Pius, et castrorum filius, et pater exercituum, et optimus maximus Cæsar vocabatur). »

(3) *Inst. orat.* I, 7, 25.

Non tantum enim codices multum inter se diversi sunt; sed vel in eodem codice idem verbum non eamdem ubique rentiet formam. Quod notavit quoque in Virgilio Gellius (1). Eum enim ait nunc *urbes*, nunc *urbis*, nunc *tres*, nunc *tris* scripsisse, judicatque, in iis « interrogandam esse aurem, « neque spectandas, ut quemdam Probum Valerium « facit dicentem, *præranciddas illas grammaticorum* « *finitiones*. » Nec aliud monet grammaticus Consentius (2) : « Sane plerique omnes has voces quæ ge- « nitivum in *ium* mittunt, dicunt etiam accusati- « vum pluralem in *is* mittere, ut *has puppis*, *hos* « *montis*, etc.; sed in hoc quoque *sequenda eupho-* « *nia*; plerasque enim ex omnibus istis regulis « consuetudine cernimus immutatas. » Quid ergo nobis superest, nisi cavendum ne quidquam temere constituamus, dicendumque illud Terentianum :

> Here, quæ res in se neque consilium, neque modum
> Habet ullum, eam consilio regere non potes (3).

Nec aliud forsan concludi potest in iis quæ Sallustius contra receptas grammaticæ leges, repetito veterum more, scripsisse creditur. Sero enim certæ fuerunt Romanis dicendi regulæ; quibus statuendis etiam operam dedit Lucilius in nona satira, quæ, vel Cicerone vigente, dubiæ fuisse videntur.

(1) *Noct. att.* XIII, 21.
(2) P. 2040.
(3) *Eunuch.*, 57.

Argumento est quod, M. Varronis et Tironis Tullii verba afferens, narrat Gellius (1) : Pompeium ædem Victoriæ dedicaturum, quum nomen ejus et honores inscriberentur, quæsiisse utrum consul *tertio* inscribendum esset an *tertium*, eamque rem ad doctissimos civitatis retulisse; quum autem pars *tertio*, alii *tertium* scribendum contenderent, rogatum Ciceronem utrum ipsi rectius videretur, persuasisse Pompeio ut neque *tertium*, neque *tertio* scriberetur, sed ad secundum usque *t* fierent litteræ.

Quid quod, ipsa Quintiliani ætate, de grammatica nondum inter omnes conveniebat? Ille enim fatetur incertum esse utrum senatus *senatus*, *senatui* faciat, an *senati*, *senato*, quomodo flexit Sallustius; interrogatque quid *progenies* genitivo singulari, quid plurali *spes* faciat (1) : unde patet adhuc sub judice litem fuisse; unde etiam inferendum est concessam suæ ætati libertatem non multum excessisse Sallustium et Virgilium, quum casu genitivo *die*, pro *diei*, antiquitatis, ut aiunt, studio, scripserunt.

Quam multa autem alia, quæ a Sallustio contra aureæ ætatis morem dicta judicamus, in Cicerone, et Cæsare, et Livio, ut alios omittam, non semel occurrunt! quam multa isti habent Sallustianæ au-

(1) *Noct. att.* X, 1.
(2) *Inst. orat.* I, 6, 26-27.

daciæ omnino consimilia! Quum enim Sallustius dixerit : *adepta libertate* (*Cat.* 7), *adeptam victoriam* (*Jug.* 100), *bonis dilargitis* (*Fragm.* 1), *indicium machinatum* (*Cat.* 48), invenias in Cæsare *partitis copiis* (*Bell. Gall.* VI, 6), in Livio, *partita classe, depopulato agro* (IX, 36) et non pauca alia. Rursus, quum Sallustius habeat : *urbis potiri* (*Cat.* 48), *ejus potiundi* (*Jug.* 89), *cuncta potiundi* (*Fragm. incert.*), *quæ questus sum* (*Jug.* 24), *quas... abuti* (*Cat.* 13), eodem more Cicero : *illius regni potiri* (*Famil.* I. 7), *gentem antiquam urbem nostram potituram* (*Tusc.* I, 37), *queri quæ dolemus* (*pro Fl.* 24.), *Milo queritur injuriam suam* (*ad Att.* V, 8), *Ne Silius quidem quidquam utitur* (*ad Att.* XIII, 22), *fruenda etiam sapientia est* (*De fin.* I, 1), *ad quem fruendum* (*de Senect.*, 16). Livius autem : *florem ætatis fruendum præbuit* (XXI, 3), *rem fruedam oculis* (XXII), 14, etc.

Abstracta vocabula plurali sæpius numero adhibet Sallustius, in hoc veteres secutus, quorum leges his dicendi formis refertæ sunt : exempli causa, *sævitiis* (*Hist. fragm.* 1), *paces* (*Jug.* 31), *luces* (*Fragm. incert.*), *famas* (*id.*), *gloriæ* (*Jug.* 4). At Cæsar : *opportunitates* (*Bell. Gall.* III, 12), *auditionibus* (IV, 5), *siccitates paludum* (IV, 38), *fumi incendiorum* (V, 48), *silvarum propinquitates* (VI, 30), etc. At potissimum Cicero, et veteres, et Græcos, ac præsertim Isocratem imitatus, plurima in latinam linguam aut induxit aut revocavit. Ut enim Isocrates ἀλήθειαι, ἔνδειαι, εὐπορίαι, ἰσότητες, μετριότητες, πενίαι,

φόβοι dixerat, et Plato φιλοσοφίαι, ἀνδρίαι (præclara facinora), ἐμπειρίαι, etc.; sic Romanus orator *acerbitates* (*Catil.* I, 4), *ambitiones* (*Tusc.* II, 62), *admirationes* (*de Orat.* I, 152), *assiduitates* (*defin.* I, 15), *avaritias* (*defin.* IV, 75), *audacias* (*in Verr.* V, 208), *conscientias* (*pro Cluent.* 21), *harmonias* (*Tusc.* I, 18), *insanias* (*ad fam.* IV, 1), *sapientias* (*Tusc.* III, 18), *etc.*, scripsit (1).

Quod si ad insolitas verborum constructiones accedemus, in iis quoque Ciceronem et alios Sallustii audaciam vel assecutos, vel supergressos comperiemus. Ut enim Sallustius dixit: « Sed ei cariora semper omnia quam decus atque pudicitia *fuit* » (*Cat.* 25); ita Cicero : « Quis igitur illum consulem, nisi latrones *putant* » (*Phil.* IV, 4)? Ut Sallustius : « Regium imperium initio *conservandæ libertatis fuit* » (*Cat.* 6), etc., ita Cicero : « Quæ res *evertendæ reipublicæ solent esse* » (*in Verr.* II, 53). Livius autem : « Hæc *prodendi imperii romani, tradendæ* Hannibali *victo-*

(1) Quam multa his similia in veteribus nostris scriptoribus invenias, quæ deinde exolevere, et tantum per imitationem revocata sunt ! « J'imagine infinies natures plus hautes que la mienne. » (Montaigne, III, 2.) « Les vies retirées soutiennent des devoirs plus tendus que ne font les autres vies. » (Montaigne, *Ibid.*) « J'entendais de terribles langages. » (Blaise de Montluc.) Les fuites des méchants . Nos fortunes prospères. Les repos de la terre. (Malherbe.) « Je connais le monde présent; je sais ses dégoûts et ses aversions. » (Balzac, *Socrate chrét.*, Préf.) « Il méprisait la bassesse de l'âme des courtisans; il n'estimait guère les élévations des fortunes de la cour. » (*Ibid.* 8.) His vocabulis referti sunt libri nostrorum Corneille, Pascal, Bossuet, Molière, La Fontaine; nec infeliciter interdum ea usurpavit Chateaubriand;

riæ sunt» (XXVII, 9), etc. Ut Sallustius: « Multis *sibi quisque* imperium petentibus, » ita Livius : « Omnes, velut diis auctoribus in spem suam *quisque* acceptis, prælium poscunt » (XXI, 45). Quam mira autem hæc Ciceronis : « *exemplorum eligendi potestas* » (*de inv.* II, 2); « *reliquorum siderum quæ causa collocandi fuerit* » (*de univ*, 9); « *obliviscendum* vobis putatis matrum in liberos, virorum in uxores *scelera* » (*pro Scauro, fragm.* 13); « *viam quam* nobis quoque *ingrediendum sit* » (*de Senect.* 2); « Isocratem Plato admirabiliter *laudari facit* a Socrate » (*de opt. gen. dic.* 6), etc.

Quamvis non pauca supersint exempla, faciendus tamen longæ illi recensioni finis. Ex ea autem jure concludetur in his quæstionibus summa utendum modestia, nec verba, ut ait Petronius, « atrociore stilo effodienda (1), » neque adversus Sallustium censoria quadam gravitate animadvertendum, nedum ex illis grammaticæ apud veteres tenebris certas quasdam regulas ad lucem proferre et professorie constituere liceat.

Jam vero, quid in iis Sallustius a Catone mutuatus sit, persequi mihi non in animo est. Quanquam enim multa supra notata (*uti*, *egere*, *potiri*, etc.), in Catonis fragmentis reperiuntur, quanquam præterea *auxisse* intransitive uterque dixit, etiamque *vis* pluraliter, *incipitur*, *nequitur*, *prosapia*, quam vocem a Sallustio in oratione Marii usurpatam bis

(1) *Sat.* 4.

damnat Quintilianus (1) et « ab ultimis et jam oblitteratis repetitam temporibus insulsamque vocat; » tamen videri potest Sallustius morem totius antiquitatis potius quam unius præcipue Catonis secutus esse. Et profecto ea omnia a Plauto et Terentio ceterisque Catonianæ ætatis scriptoribus non minus quam a Catone adhibita fuerunt. Omissa igitur illa disputatione, nunc quædam verba, quasdam verborum compositiones notabo, quæ jam non ad grammaticam, sed ad ipsius scriptoris morem et proprium ingenium pertinent, et inde initium comparandi cum Catone Sallustii faciam. Si enim illa, Catoni quasi peculiaria, in nostri scriptis vulgo deprehensa fuerint, manifestum erit Sallustium ea consulto et æmulandi gratia viri quem « romani generis disertissumum vocavit (2) » usurpavisse.

Quod igitur ad nomina attinet, non semel in Sallustio *mortales* pro *homines* legimus, nec sine aliqua viri reprehensione, tanquam non satis simpliciter dixerit; et quum alia multa, tum geminata hujus vocis usurpatio in magnifico Catilinæ procemio lectorem offendit. Eam autem a Catone mutuatus erat Sallustius, quod arguit, præter alios locos, notissimum orationis *de falsis pugnis contra Thermum* (3) fragmentum, ubi legitur : « videre multi *mortales;* » ac, paulo infra, « inspectanti-

(1) *Inst. orat.* I, 6; VIII, 3.
(2) *Hist. fragm.* I.
(3) Gell. X, 3.

bus popularibus suis atque multis *mortalibus.* » Vox vero illa, si Frontoni (1) credas, amplius aliquid quam *homines* significabat : « Nam, inquit, « multorum hominum appellatio intra modicum « quoque numerum cohiberi atque includi potest; « multi autem mortales, nescio quo pacto et quo- « dam sensu inenarrabili, omne fere genus et or- « dinum et ætatum et sexus comprehendunt. » Sæpe in Catone reperias voces *malefacta*, *benefacta*, *malefacere*, *benefacere*, *facinus* bono aut malo sensu acceptum, ut in his locis : « *Malefacta benefactis* non redemptitavere » (2); « Majorum *benefacta* perlecta (3). » « Ita inductum est *malefacere* impæne, *benefacere* non impæne licere (4). » « Tuum *nefarium facinus pejore facinore* operire postulas (5). » Eæ autem creberrimæ in Sallustio sunt. Satis erit pauca exempla afferre : « Sua ab aliis *benefacta* laudari quam ipse aliorum narrare malebat » (*Cat.* 18); « *benefacta* mea reipublicæ procedunt » (*Jug.* 85) ; « haud facile alterius lubidini *malefacta* condonabam » (*Cat.* 52); « Nam et illis parum est impune *malefecisse* » (*Jug.* 31) ; « *pulchrum* est *benefacere* reipublicæ » (*Cat.*) 3; « *facinus memorabile* (*Cat.* 4) ; *miserabile* » (*Jug.* 53) et aliis locis permultis. Vox

(1) Ap. Gellium, XIII, 28.
(2) Orat. *de signis et tabulis*. Festus.
(3) Orat. *de sumptu suo*. Front. Epist. I, 2.
(4) *Ibidem*.
(5) Orat. *contra Thermum de decem hominibus*, Gellius XIII, 24.

quoque *artes bonæ* aut *malæ*, cujus tam frequens apud Sallustium usus est, Catoni accepta erat, qui scripsit : « A benefactis atque ab *optumis artibus* fugit maxima fugella (1). » Sic Marium Sallustius facit dicentem : « Mihi qui omnem ætatem *in optumis artibus* egi. » (*Jug.* 85).

Ex eodem fonte hausta sunt verba hæc et verborum constructiones, quæ Sallustius vulgo habet : *Niti pro aliquo, factum ire, transvorsum ire, bene aut male evenire, consulere, ætatem agere per, festinare*, etc.; quod ex comparatione paucorum utriusque scriptoris locorum patebit.

Cato : « Censores qui postea fient formidolosius atque segnius atque timidius *pro republica nitentur* (2). » — Sallustius : « Vos pro libertate quam ab illis accepistis, non summa ope nitemini ? » (*Jug.*, 31); « summa ope *niti decet* » (*Cat.*, 1); « summa vi *contra nititur* » (*Cat.*, 40), et permulta alia.

Cato : « Quod uti *prohibitum irem* (3); » « atque evenit ita, Quirites, ut in hac contumelia quæ mihi per hujus petulantiam *factum itur*, rei quoque publicæ, me Dius fidius, miserear (4); » secundæ res lætitia *transvorsum trudere* solent a recte consulendo atque intellegendo (5). » — Sallustius : « Ne... bonos om-

(1) Orat. *de Ptolomæo minore contra Thermum*. Priscianus.
(2) Orat. *de consul. suo*. Charisius.
(3) Orat. *ad litis censorias*. Festus.
(4) Orat. *pro se contra C. Cassium*. Gellius X, 14.
(5) Orat. *pro Rhodiensibus*, Gellius, VII, 3.

nis *perditum eant»* (*Cat.*, 52); «honorum præmia *ereptum eunt»* (*Jug.*, 85); «vereor ne... ante capiamini... quam *captum ire* licet» (*Hist. fragm.*, I. *M. Æmilii Lepidi orat.*), etc.; præterea sæpius *obviam ire* (*Cat.*, 6, *Jug.*, 5, 7, etc.), *transvorsos agere* (*Jug.*, 6, 14).

Cato : « Neve hæc lætitia *nimis luxuriose eveniat* (1). »—Sallustius : «Ea res longe *aliter* ac ratus erat *evenit»* (*Jug.*, 7); *bene* ea res *evenit»* (*Jug.*, 92); « *mature evenire* » (*Jug.*, 65), etc.

Cato : « Secundæ res transvorsum trudere solent a recte *consulendo*. »— Sallustius: «Nam et prius quam incipias, *consulto*, et ubi *consulueris*, mature facto opus est » (*Cat.*, 1); « *bene consulendo* prospere omnia cedunt» (*Ibid* 52); « de uxore potuit *honestius consuli»* (*Jug.*, 95), et multa alia.

Quid proprie significet verbum *festinare*, quid autem a verbo *properare* distet, Cato (2) his docuerat : « Aliud properare, aliud festinare : qui unum quid « mature transigit, is properat; qui multa simul in- « cipit, neque perficit, is festinat.» Quod sensus discrimen etsi Sallustium ubique retinuisse non affirmaverim, sæpius tamen, quum aliquid ex improviso aut cum aliqua animi trepidatione agitur, vocem *festinare* usurpavit; *properare* autem, quum certum et placidum et diligenter perpensum consi-

(1) Orat. *pro Rhodiensibus*.

(2) Orat. *de virtutibus suis contra Thermum*. Gellius, XVI, 14.

lium significavit. Sic Catilina « multa simul moliri... dies noctesque *festinare,* vigilare... » dicitur (*Cat.,* 27); sic, in oratione Marii, aliquis ex illis subitis imperatoribus qui, jure nobilitatis consules facti, ad bellum gerendum mittuntur, his verbis carpitur : « Scilicet ut in tanta re, ignarus omnium, *trepidet, festinet»* (*Jug.*, 85); sic in eodem libro occurrit hæc verissima sententia : « Animo cupienti nihil satis *festinatur* » (*Jug.,* 84). Contra scriptor, postquam situm Africæ paucis exposuit, quo consilio Carthaginem omiserit declaraturus, ait : « De Carthagine silere melius puto quam parum dicere, quoniam alio *properare* tempus monet » (*Jug.,* 19). Eodem modo dum priscæ juventutis romanæ virtutem laudat : « Quisque hostem ferire, murum adscendere, conspici, dum tale facinus faceret, *properabat* » (*Cat.,* 7). Quibus in exemplis non temere *properare* pro *festinare* scriptum fuit. Nec desunt plura hoc genus exempla.

Nonnullæ etiam aliæ afferendæ sunt insignes verborum constructiones, eædemque Catonis imitatione a Sallustio receptæ. Vox illa expletiva, «*reputate cum animis vostris*» (*Jug.*, 85) ; «facinus suum *cum animo reputans* » (*Jug.,* 14), in notissimo Catonis loco occurrit : « *Cogitate cum animis vostris,* si quid per « laborem recte feceritis, labor ille a vobis cito rece- « det, benefactum a vobis, dum vivitis, non abscedet ; « sed si qua per voluptatem nequiter feceritis, vo- « luptas cito abibit, nequiter factum illud apud vos

« semper manebit (1). » Atque hic notandum etiam *per laborem, per voluptatem*, quam dicendi formam et alibi in Catonis fragmentis et ubique in Sallustio invenias. Certe in oratione *de falsis pugnis* (2), Cato Q. Thermi crudelitatem gravissimo animi motu et vehementissimis verbis depingens, hæc ait : « In-« signitas injurias, plagas, verbera, vibices, vis, « dolores atque carnificinas, *per dedecus atque* « *maxumam contumeliam*, te facere ausum esse! » Et in oratione *pro se contra C. Cassium* (3) : « In « hac contumelia quæ mihi *per hujusce petulantiam* « factum itur, etc. » In Sallustio autem : « Inconsulte ac veluti *per dementiam* » (*Cat.*, 42); « insolescere *per licentiam* animos hominum » (*Cat.*, 6); » *per ambitionem* deliquere » (*Ibid.*, 42); « *per amicos* impedimenta parabant » (*Jug.*, 40); « quum tu te *per mollitiem* agas » (*Ibid.*, 85); « neque ego *per ignaviam aut vana ingenia* incerta pro certis captarem » (*Cat.*, 20); et permulta alia exempla præsto sunt.

Cato in oratione *de sumptu suo* : « videte *quo loco* respublica siet (4); » Sallustius autem : « *quo in loco* res nostræ sint » (*Cat.*, 58); « *locus* peccato si esset » (*Ibid*, 42); « *locum* invadendi quærere » (*Jug.* 85). Ipsas voces *per deos immortalis*, cujus magna in Sallustio copia est, *vero, eu vero, quasi vero, verumenimvero, me*

(1) *Orat. quam dixit Numantiæ ad equites*, Gellius, XVI, 1.
(2) Gellius, X, 3.
(3) Gellius, X, 14.
(4) Front. *Epist. ad Antoninum*, I, 2.

Dius fidius, Catoni quoque usitatæ erant (1). Denique, quum M. Antoninus animadverterit (2) Catoni particulam *atque* acceptissimam fuisse, eamque quum in plurimis locis, tum initio orationis *pro Rhodiensibus* sæpius interponi: «Scio solere plerisque « hominibus in rebus secundis *atque* prolixis *atque* « prosperis animum excellere, *atque* superbiam *atque* « ferociam augescere *atque* crescere; » quumque ipse, ad magistrum Frontonem scribens, se « ex Catone hoc *atque* furari » dicat, licet mihi quoque in Sallustio notare, ut ex Catone derivatam, creberrimam hujus particulæ usurpationem. Illud autem, si quis vel strictim libros ejus attigerit, facile perspiciet. Satis erit ex procemio Catilinæ (cap. 2) aliqua exempla afferre: « Postea quam in Asia Cyrus, in Græ- « cia Lacedæmonii et Athenienses cœpere urbis *at-* « *que* nationes subigere; tum demum periculo *atque* « negotiis compertum est, in bello plurumum in- « genium posse. Quod si regum *atque* imperato- « rum animi virtus in pace ita, uti in bello, valeret, « æquabilius *atque* constantius sese res humanæ « haberent.»

(1) Per Deos immortalis, nolite vos sequestro ponere. (Orat. *de Ptolomæo minore.*)— *Verumvero* inter offam atque herbam, ibi *vero* longum intervallum est. (Orat. *de ædilibus vitio creatis*. Gellius XIII, 17.)—Multa me dehortata sunt huc prodire... *Verumenimvero* quum tantam rem peragier arbitrarer. (Orat *in Serv. Galbam pro Lusitanis.*) — Atque evenit ita, uti in hac contumelia..., rei quoque publicæ, *me Dius fidius*, miserear. (Orat. *pro se contra Cassium.*)

(2) Ap. Frontonem, *Epist.* II, 16.

Illa omnia, quanquam forsan levioris momenti videantur, non omittenda credidi, quoniam ad verba præcipue Catonis pertinuisse Sallustii furta veteres crediderunt, et præterea non parva ex parte priscus ille et Catonianus ejus orationis color inde constat. Sed alia supersunt, quibus, magis etiam quam verba mutuando, ad similitudinem prisci viri orationem suam finxit Sallustius, ejusque scribendi tenorem fere totum sibi vindicavit. Ea igitur nunc breviter recognoscenda.

Si quis Catonis fragmenta attentius legerit, animadvertet sane quam sæpe soleat contraria contrariis referre, non ita tamen, ut verba verbis, inani aliquo rhetoricæ artis ludo, opponat, et orationem librare ac numerose concludere curet, sed ut comparatione rerum rebus vim et lucem addat, et plenior inde ac manifestior sensus exstet. Ille autem scribendi mos priscis scriptoribus quasi insitus est, ut argumento sunt apud nostrates veterum annalium scriptores, et Henrici IV orationes atque epistolæ, et noster ille Corneille. Eum vero morem inter præcipuas Sallustii virtutes esse, nec ob eam minime causam ejus narrationibus et præsertim orationibus tantum nervorum accessisse, nemo negabit. Allatis paucis utriusque locis, quantum inde alter ab altero pendeat perspicue patebit. De se Cato (1) ita dixerat : « Si quid est quod utar, utor;

(1) *Fragm. incert.* Gellius, XIII, 23

« si non est, egeo. Vitio vertunt quia multa egeo, at « ego illis quia nequeunt egere. » Sallustius autem Marium hæc prædicantem fecit : « Contemnunt no« vitatem meam, ego illorum ignaviam. Mihi fortuna, « illis probra objectantur. » (*Jug.*, 85). Jam supra laudavi egregiam illam sententiam quam Numantiæ apud equites dixit Cato. Nec minus præclara, quanquam de medio sumpta, vitæ humanæ cum ferro comparatio (1) : « Nam vita humana prope uti fer« rum est. Ferrum, si exerceas, conteritur; si non « exerceas, tamen rubigo interficit. Itidem homines « exercendo videmus conteri ; si nihil exerceas, « inertia atque torpedo plus detrimenti facit quam « exercitio. » Illis tam apte inter se oppositis quid similius quam hæc Sallustii : « Ubi intenderis inge« nium, valet, si lubido possidet, ea dominatur, « animus nihil valet » (*Cat.*, 51). « Animi imperio, « corporis servitio magis utimur; alterum nobis cum « diis, alterum cum belluis commune est » (*Cat.*, 1). « Priusquam incipias consulto, et, ubi consulue« ris, mature facto opus est » (Cat. 3).

Cato, in loco jam laudato orationis contra Thermum, superbiam et crudelitatem magistratus romani graviter insectans, exclamat : « Servi injurias « nimis ægre ferunt : quid illos bono genere gnatos, « magna virtute præditos, opinamini animi habuisse « atque habituros dum vivent? » Eo autem et firmis-

(1) *Carmen de moribus*, Gell. XI, 2.

simo quidem argumento, Catonem manifesto imitatus, utitur Sallustius in oratione Memmii tribuni contra nobilium factionem : « Servi ære parati injusta « imperia dominorum non perferunt; vos, Quirites, « imperio nati, æquo animo servitutem toleratis » (*Jug.*, 31). Multa alia ex utroque scriptore afferri possent illius figuræ exempla, quæ oratores multum decet (1), ac præterea ad concinnam sententiarum et proverbiorum brevitatem mire est accommodata; qualia sunt ea, in quæ erupit mordax Catonis sapientia : « Fures privatorum furtorum in nervo et « compedibus ætatem agunt, fures publici in pur- « pura (2); » etiamque ista ex libro *de re rustica* sumpta : « Scito idem agrum quam hominem, « quamvis quæstuosus siet, si sumptuosus erit, re- « linquere non multum. » — « Ita ædifices, ne villa « fundum quærat, neve fundus villam (3). » Quibus tam scite et tam acute dictis, addi potest hæc sententia vere censoria : « Nihil agendo homines male agere discunt (4). »

Quoniam sententias attigimus, quarum ex creber-

(1) Vide etiam in Cat. 20, orationem Catilinæ ad conjuratos : « Etenim quis mortalium cui virile ingenium est, tolerare potest illis « divitias superare quas profundant in exstruendo mari et montibus « coæquandis; nobis rem familiarem etiam ad necessarium deesse? « Illos binas aut amplius domos continuare, nobis larem familiarem « nusquam ullum esse, etc. »

(2) Orat. *de præda militibus dividunda.* Gellius, XI, 18.

(3) 1, 6.

(4) *Orig.* I. Columella, XI, 1.

rimo usu proprius aliquis orationi et ingenio Catonis et suus est habitus, quam multas in promptu habeat Sallustius notum, qui non Catonem tantum, sed Græcum Thucydidem æmulari hac parte studuerit. Ut alia deficiant, rem abunde arguerint ipsa Catilinæ et Jugurthæ procemia. Quum vero infra mihi afferendæ et cum Catonis fragmentis componendæ sint multæ Sallustii sententiæ, nunc aliud notabo non minus in utroque insigne, scilicet morem illum membratim dicendi et continuationem verborum semper dividendi. Præter ea quæ jam occurrerunt, pauca exempla fidem facient. Et, quum forsan nimis notus sit ille de Q. Thermi crudelitate locus, aut orationis pro Rhodiensibus fragmentum, in quibus ubique fracta et amputata oratio est, alia nonnulla ponam. In oratione contra Galbam hæc sunt cum quibusdam orationis pro Rhodiensibus verbis sane conferenda : « Tamen dicunt de-
« ficere voluisse. Ego me nunc volo jus pontificium
« optime scire : jamne ea causa pontifex capior?
« Si volo augurium optime tenere, ecquis me, ob
« eam causam, augurem capiat? » Eumdem habent colorem hæc contra feminas (1) : « Principio
« vobis mulier magnam dotem attulit; tum ma-
« gnam pecuniam recipit, quam in viri potestatem
« non committit : eam pecuniam viro mutuam
« dat : postea ubi irata facta est, servum recepti-

(1) Orat. *pro lege Voconia*; Gellius, XVII, 6.

« cium sectari atque flagitare virum jubet; » aut lepidissima garruli cujusdam effigies (1). « Nunquam « tacet quem morbus tenet loquendi, tanquam ve« ternosum bibendi atque dormiendi. Quod si « non conveniatis quum convocari jubet, ita est « cupidus orationis, ut conducat qui auscultet : « itaque auditis, non auscultatis, tanquam phar« macopolam; nam ejus verba audiuntur, verum « ei se nemo committit si æger est. » Nec aliter scripta hæc ex incerto *Originum* vel orationum libro (2) : « Interea unamquamque turmam, manipu« lum, cohortem temptabam, quid facere possent; « præliis levibus spectabam, cujusmodi quisque « esset; si quis strenue fecerat, donabam honeste, « ut alii idem vellent facere, atque in contione « verbis multis laudabam, etc... » Illa vero qui legerit, quis non Sallustiana plane judicet? cui non in memoriam venerint innumeri aut narrationis, aut orationum loci, qualis hic est : « Jam primum ju« ventus simul laboris ac belli patiens erat, in cas« tris usu militiam discebat... Igitur talibus viris « non labos insolitus, non locus ullus asper aut « arduus erat, non armatus hostis formidolosus; « virtus omnia domuerat... Laudis avidi, pecuniæ « liberales erant, gloriam ingentem, divitias ho« nestas volebant (3). »

(1) Orat. *si se Cœlius trib. pleb. appellasset.* Gellius, I, 15.
(2) Front. *ad Verum.* p. 184.
(3) *Catil.,* 7. Vide etiam in L. Philippi orat. (*Hist. Fragm.* lib. I).

Ad eumdem dicendi morem pertinet quod sæpissime et Cato et Sallustius enumeratione utuntur, qua rhetorica figura frequenter adhibita tota oratio aliquid fracti et salebrosi habet. Tanta est autem hujus quoque rei apud nostros copia, ut ego non nisi in eligendis exemplis hæream. Egregium in modum æquam libertatem descripsit Cato his verbis : « Jure, « lege, libertate, republica, communiter uti oporte « tet ; gloria atque honore quomodo sibi quisque « struxerit (1). » Notabilis quoque enumeratio est in oratione contra Thermum, quem locum jam supra laudavi (2). Nec minus insignis hæc : « Propter « ejus (Leonidæ) virtutes omnis Græcia gloriam « atque gratiam præcipuam claritudinis inclitissimæ « decoravere monimentis, signis, statuis, elogiis, « historiis, aliisque rebus gratissimum id ejus fac- « tum habuere (3), » etc. Quum autem creberrimæ sint in Sallustio enumerationes, paucas tantum ex oratione Catilinæ ad conjuratos ponam : « Quum tabulas, signa, toreumata emunt, nova « diruunt, alia ædificant, postremo omnibus modis « pecuniam trahunt, vexant, tamen summa lubi- « dine divitias vincere nequeunt. » Et paulo infra :

« Quæso, considerate quam conversa rerum natura sit. Antea malum publicum occulte, auxilia palam instruebantur, et eo boni malos facile anteibant. Nunc pax, concordia disturbantur palam, defenduntur occulte; quibus illa placent, in armis sunt, vos in metu. »

(1) *Fragm. incert. orat.* Festus.

(2) Pag. 24.

(3) *Orig.* IV. Gellius, III, 7.

« Præterea divitiæ, decus, gloria, in oculis sita « sunt... Res, tempus, pericula, egestas, belli spo« lia magnifica, magis quam oratio mea vos hor« tentur. »

In enumerando maximi usus est ea dicendi figura quæ narrativum infinitivum vocatur; eaque potissimum in rebus describendis et quasi ante oculos ponendis plurimum valet. Eam autem, in aliis quoque rerum scriptoribus, ac præcipue in Livio creberrimam (1), quantum soleat adhibere Sallustius nemo nescit. Vel temere libros ejus evolventi occurrunt statim multa his similia : « Ex illis testes signatores« que falsos commodare, fidem, fortunas, pericula « vilia habere, etc., » et paulo infra : « Primo « singulos adpellare, hortari alios, alios tentare; « opes suas, imparatam rempublicam, magna præ« mia conjurationis docere (2). » In Catonis quoque quanquam brevissimis fragmentis inveniuntur ejusdem rei exempla ; ut, in *Originum* libro I : « Igitur tertio *pedato* (accessu vel repetitu) bellum nobis *facere ;* » et in *Orationibus* (3) : « Descendit « de cantherio, inde staticulos *dare,* ridicularia *fun*« *dere;* » unde patet ei acceptum fuisse hunc morem

(1) *Vid.* IX, 5, in narratione de furcis Caudinis : « Alii alios intueri... etc. » etiamque XXXI, 41 : « Excitare alii alios, jubere arma capere, alios dimittere... »

(2) *Cat.* 16.

(3) Orat. *ne se Cælius tribunus pleb. appellasset.* Macrob. *Saturn.* II, 10.

orationis. Eo autem veteres sæpe usi videntur, et in Claudio Quadrigario insigne ejus exemplum est : « Deinde Gallus irridere atque linguam exertare (1). »

Sæpissime etiam in fragmentis orationum et *Originum* invenias illam oratoriam figuram quæ repetitio vocatur, ut in oratione *contra Thermum* : « *Quis hanc* « contumeliam, *quis hoc* imperium, *quis hanc* servi- « tutem ferre potest ? » et alibi : « Succidias huma- « nas *facis*, tantas trucidationes *facis*, decem funera « *facis*, decem capita libera *interficis* (2); » et in *Orig.* libro IV : « *Compluriens* eorum milites mercenarii « inter se multi alteri alteros in castris occidere, *com-* « *pluriens* multi simul ad hostes transfugere, *com-* « *pluriens* in imperatorem impetum fecere (3). » Sic Sallustius, quum in aliis locis multis, tum in oratione Catonis (4) hæc habet : « *Si ista*, cujuscumque « modi sint, retinere, *si* voluptatibus vestris otium « præbere voltis, expergiscimini aliquando et ca- « pessite rempublicam. *Non agitur* de vectigalibus, « *non* de sociorum injuriis ; libertas et anima nos- « tra in dubio est. *Sæpenumero*, patres conscripti, « multa verba in hoc ordine feci; *sæpe* de luxuria « atque avaritia nostrorum civium questus sum. »

Abunde multa attuli quæ demonstrent ad similitudinem Catonianæ orationis totam fere suam com-

(1) In narratione pugnæ inter Manlium et Gallum. Gellius, IX, 13.
(2) In Thermum *de decem hominibus*. Gellius, XIII, 24.
(3) Gellius, V, 21.
(4) *Cat.* 52.

posuisse Sallustium. Ipsa translationum audacia, quam in ejus scriptis carpebat Ateius, forsan non alio de fonte fluxit. Multas enim, ac sæpe insignes, sæpe de medio sumptas, et lepidissimas quidem, imagines in Catonis fragmentis invenias. Vivida hæc et notabilia sunt : « Qui nec *orientem solem* unquam viderunt, neque *occidentem* (1). » « *Accipite*, si placet, *hoc onus in collos vestros ;* » ubi Nonius *collos* pro *colla* notavit (2). « Eorum ego orationes sino *præterfluere* (3). » « Advorsæ res edomant et do-« cent quid opus sit facto ; secundæ res lætitia *trans-« vorsum trudere* solent a recte consulendo atque « intellegendo (4). » — « Quumque Hannibal terram Italiam *laceraret atque vexaret* (5). » Quanquam autem aliquid omnino poeticum in fragmento orationis *de consulatu suo* (6) a grammatico Charisio affertur : « Deinde postquam Massiliam præteri-« mus, inde omnem classem auster lenis fert ; *mare « velis florere* (7) videres ; » tamen sæpius ejus ima-

(1) Senec. *Epist.* 122.

(2) In *Sercia.*

(3) Plin. *Hist. nat.* præfat. 24.

(4) Orat. *pro Rhodiensibus.* Illam sententiam mirum in modum pressit Corn. Tacitus (*Hist.* I, 15) : « Secundæ res acrioribus stimulis animos explorant ; quia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur. »

(5) De *Achæis.* Gellius, II, 6.

(6) *Dierum dictarum de consul. suo* (Charis., p. 185).

(7) Unde forsan Lucretius (V, 144) : « Tum mare velivolum florebat navibu' pandis. » Servius, hunc versum laudans : « Ennius et Lucretius florere dicunt omne quod nitidum est ; sic in Lucretio « flos ignis et flammaï. » Et forsan eodem sensu Cato in loco supra laudato

gines ad communem scribendi morem pertinent, et virum rusticum ac militarem multo magis quam poetam decent. Quod genus est illa supra laudata (1) vitæ humanæ cum ferro comparatio; qualia sunt hæc lepide dicta : Antiochus *epistolis bellum gerit; calamo et atramento militat* (2).— *Vecticulariam vitam vivere* (3). — Aures nobis *calliscerunt* (occaluerunt) ad injurias (4). — Pecuniam *inlargibo* tibi (5).— Si posset *auctio fieri* de artibus tuis, *quasi supellectilis* (6) solet; etiamque nonnulla ambigue dicta, ut, auctore Cicerone (7), Fulvium Nobiliorem, in quem verba faciebat, parva verbi immutatione *mobiliorem* dixerat; quale etiam hoc est : « Ut populus sua « opera potius ob rem bene gestam supplicatum *coro-* « *natus eat*, quam re male gesta *coronatus veneat* (8). » Unde fit ut libenter crediderim T. Livium, in oratione de lege Oppia (9), qua, Catonem loquentem inducens, viri ingenium et dicendi genus mira sane arte effinxit, ex ipso Catone hausisse hoc a consue-

florere dixit. Præterea, ætate ea, inter carmina et solutam orationem nondum certum et statutum erat discrimen. Interdum autem rusticorum acris sapientia assurgit ad poetica. Vide in *Satira Menippea* Parisiensis civis, d'Aubray, orationem.

(1) Vide pag. 27.

(2) Orat. *apud Athenienses* (Rufinianus, de figuris, p. 199).

(3) *Fragm. incert.* Festus.

(4) *De bello Carthag.* (Nonius).

(5) Orat. *ne lex Bœbia derogaretur*. Nonius.

(6) Or. *contra Tiberium exsulem*. Priscian. t. 1, p. 285.

(7) *De orat.* II, 63.

(8) *De re militari* libri, Lion, *Catoniana*, p. 43.

(9) Lib. XXXIV, 4.

tudine elegantissimi scriptoris remotissimum : « *Infesta, mihi credite, signa* ab Syracusis illata sunt huic urbi. »

Quod si autem creberrimas in Sallustii scriptis translationes inspexeris, quamvis quasdam audaciores sane ac poeta dignas invenias, ut *maria constructa* (1), *in exstruendo mari* (2), *prœlium accendere* (3), *flagrantes inopia et cupidinibus* (4), conscientia mentem excitatam *vastabat* (5), pecuniam *trahunt, vexant*, divitias suas *vincere* (6), (quæ tamen forsan ut apud nos *bourreau d'argent, tourmenter sa fortune*, proverbii loco fuerant); tamen sæpius ejus imagines oratoriæ magis quam poeticæ sunt, et nonnunquam ex rebus quotidianis sumptæ videntur. Certe hæc: *bona patria laceraverat* (7), *maria montesque polliceri* (8), nobilitas invidia *æstuabat* (9), omnibus necessitudinibus *circumventum* (10), luxuria *præceps abierat* (11), si vos *languere* viderint, jam omnes *feroces aderunt* (12), *impetus fiat in vacuam* rempu-

(1) *Cat.* 13.
(2) *Ibid.* 20.
(3) *Hist.* II, fr. 21. (Kritzius.)
(4) *Hist.* I, fr. 59, (Kritzius) orat. Philippi.
(5) *Cat.* 15.
(6) *Cat.* 20.
(7) *Ibid.* 14.
(8) *Ibid.* 23.
(9) *Ibid.*
(10) *Ibid.* 21.
(11) *Ibid.* 25.
(12) *Cat.* 52.

blicam (1), etc., concessam oratoribus et rerum scriptoribus libertatem non excedunt. Illæ autem imagines inanem verborum elegantiam non redolent; sed aliquid, ut ita dicam, virilis habent, resque ipsas clarius et fortius et vehementius menti legentium subjiciunt. Sed ea quoque virtus Catoniana est, et in Sallustio ad Catonis imitationem potest referri.

Igitur illa recensio manifestum fecit Sallustium, non multa tantum Catonis verba sibi vindicavisse, sed ad colorem etiam habitumque Catonianæ orationis suam conformavisse. Nunc sententiarum et rerum recognitione comperiemus latius etiam hac parte patuisse Catonis imitationem.

(1) *Cat.* 52.



CAPUT III.

Quæ in sententiis totoque de republica sensu et scribendæ historiæ ratione Catoni similia habeat Sallustius.

Non semel jam, dum verba figurasve dicendi, quæ ex Catone in Sallustii scripta defluxisse videbantur, studiose recolligebamus, occurrere sententiæ quædam, ipsæ quoque ab eodem fonte desumptæ. Quam multa inde hauserit Sallustius, non exstantibus Catonis orationibus et historiis, perspici satis non potest. Tamen, quum, in tam paucis tamque brevibus fragmentis, plura pene ad verbum expressa inveniantur, ac præterea interierint Sallustii *Historiæ*, judicandum est eum amplam sane rerum et sententiarum copiam ex prisci viri scriptis collegisse. Affert Gellius (1) exordium orationis quam contra Servium Galbam, Lusitanorum interfectorem, senex admodum habuit Cato: « Multa me

(1) XIII, 24.

« dehortata sunt huc prodire, anni, ætas, vox, vires, « senectus; verumenimvero quum tantam rem pe« ragier arbitrarer. » Illud autem in orationem Memmii tribuni arripuit Sallustius (1) : « Multa me « dehortantur a vobis, Quirites, ni studium reipu« blicæ omnia superet, etc. » Jam laudavimus ex oratione *contra Thermum* argumentum quod *a fortiori* dicunt : « Servi injurias nimis ægre ferunt : « quid illos bono genere gnatos, magna virtute « præditos, opinamini animi habuisse atque habi« turos dum vivent? » et cum eis composuimus verba Sallustii ex eadem Memmii oratione : « Servi « ære parati, injusta imperia dominorum non per« ferunt ; vos, Quirites, imperio nati, æquo animo « servitutem toleratis? » — Ex Catonis oratione *ad litis censorias* hoc attulit Festus (2) : « Scio fortunas secundas neglegentiam prendere solere. » Cujus sententiæ memor, hanc, sensu diversam, sed tamen ex priore ortam, in oratione M. Catonis (3) posuit Sallustius : « Opulentia neglegentiam tolerabat. »

Sed plura hujusmodi habet in *Jugurtha* oratio C. Marii (4), quem virum ad similitudinem sui Catonis finxisse, et Catoniano more de se et de aliis sentientem ac loquentem induxisse videtur Sallus-

(1) *Jug.* 31.
(2) In verbo *parsi.*
(3) *Cat.* 52.
(4) *Jug.* 85.

tius. Ac primum uterque, quum propter tributum honorem populo gratias agit, suos mores, per quos magistratum accepere, auctores faciunt se beneficio populi dignos permansuros. Hæc Cato, dum censor erat, in oratione *de vestitu et de vehiculis* (1) dixit: « Nam perinjurium siet, quum mihi ob eos « mores, quos prius habui, honos detur, ubi datus « sit, tum uti eos mutem atque alii modi sim. » Marius autem in Sallustio : « Quæ ante beneficia vostra « gratuitò faciebam, ea uti, accepta mercede, dese- « ram ; non est consilium, Quirites. » Uterque suam adolescentiam per labores, procul a luxu et deliciis, actam prædicat : « Ego, ait Cato (2), jam a principio « in parsimonia atque in duritia atque industria om- « nem adolescentiam meam abstinui, agro colendo, « saxis Sabinis, silicibus repastinandis atque conse- « rendis. » Rursum Marius : « Ita ad hoc ætatis a « pueritia fui ut omnes labores, pericula consueta « habeam. » Uterque cultus sui simplicitatem cum inimicorum suorum sumptibus componit ; et, si non rem modo summam, sed singula perpendas, ubique Sallustium ad Catonem respexisse manifestum habebis. In eadem *de suis virtutibus* oratione, Cato : « Neque mihi inædificatio, neque vasum, neque « vestimentum ullum est manu pretiosum, neque « pretiosus servus, neque ancilla est; » et ad idem

(1) Priscianus.
(2) Orat. *de suis virtutibus contra Thermum*. Festus.

propositum spectant ea ex alia oratione sumpta (1) : « Dicere possum, quibus villæ atque ædes, ædifi« catæ atque expolitæ maximo opere, citro atque « ebore atque pavimentis pænicis stent. » Marius autem : « Sordidum me et incultis moribus aiunt, « quia parum scite convivium exorno, neque his« trionem ullum, neque pluris pretii coquum « quam villicum habeo; quæ mihi lubet confiteri. « Nam ex parente meo et ex aliis sanctis viris ita ac« cepi, munditias mulieribus, viris laborem conve« nire, etc. » Quo in loco, Catonis imitationem omnino redolente, notandum etiam illud pene ad verbum expressum : « Neque pluris pretii coquum quam villicum habeo. » Cato nempe, auctore Gellio (2), majorum commemoratione, suorum mores et luxuriam carpens, dixerat : « Equos carius quam coquos emebant. » Ejusdem generis dictum etiam refert Plutarchus in vita Catonis (3), « difficile esse servari civitatem, in qua piscis pluris veneat quam bos. » Et ad Catonem quoque pertinere crediderim vocem *munditias*, non sine contemptu et fastidio dictam. Nam parcus noster et durus paterfamilias, qui nec homines nec agros *sumptuosos* amat, dum, in libro *de re rustica,* opera recenset quæ per f rias fieri fas sit, postquam multa enumeravit, ceteris deficientibus, tum demum scripsit, *munditias fa-*

(1) Orat. *ne quis bis consul fiat.* Festus.
(2) *Noct. att.* XI, 2.
(3) 8.

cere (1), tanquam illa pessima omnium sit usurpandi otii ratio.

Superest etiam una pars, qua Catonis et Marii verba conferri possunt. Uterque enim de orationibus quas adversus ipsum habebunt sui adversarii non sine contemptu loquitur, ita ut tamen Marius ipsam eloquentiam dedignari se profiteatur, Cato autem captiosa tantum verba et artem a recto justoque detortam videatur fastidire : « Equidem ego non « ignoro, si jam respondere velint, abunde illis fa« cundam et compositam orationem fore. Sed in ma« xumo vostro beneficio non placuit reticere, ne « quis modestiam in conscientiam duceret. » Et paulo infra : « Non sunt composita verba mea : pa« rum id facio. Neque litteras græcas didici ; parum « placebat eas discere, quippe quæ ad virtutem doc« toribus nihil profuerunt. » Cato autem (2) : « Scio « ego quæ scripta sunt si palam proferantur, multos « fore qui vitilitigent, sed ii potissimum qui veræ lau« dis expertes sunt. Ego eorum orationes sino præ« terfluere. »

Nec tantum quæ in oratione Marii supra laudata sunt Catonis sententias in memoriam revocant. Quum enim exclamat vir Arpinensis : « Falsam (orationem) vita moresque mei superant, » subit ani-

(1) C. 2. « Per ferias, potuisse fossas veteres tergeri, viam publicam muniri, vepres recidi, hortum fodiri, pratum purgari, virgas vinciri, spinas runcari, expinsi far, *munditias fieri.* »

(2) Plin. *Hist. nat.* præfat. 24.

mum illud multo etiam insignius et præstantius Catonis dictum : « Huic negotio operam do, ut mihi « falso maledicatur (1). » Quum autem Marius memorat quo labore ac periculo rempublicam administraturus sit : « Neque me fallit quantum cum vostro « maxumo beneficio negotii sustineam. Bellum pa« rare simul et ærario parcere,... et ea agere inter invi« dos, occursantis, factiosos, opinione, Quirites, as« perius est ; » occurrunt ea post consulatum suum a Catone dicta (2) : « Ego jampridem cognovi atque « intellexi atque arbitror rempublicam curare indus« trie summum periculum esse. »

Non vero tantum Marii sui orationem ad similitudinem Catonis finxisse videtur Sallustius, nec tantum aliquas sententias arripuisse quas libris suis intexeret. Quoties scriptor, cui historia non narrandi modo, sed de moribus ac præsertim de republica disserendi materia est, proprio nomine loquitur, multa habet quæ Catonis ingenium, et simultatum, quas antiquorum morum propagnator per totam vitam cum nobilibus exercuit, rationem referant. Scilicet Cato ea ætate vixit quum Romani, domita illa Italiæ parte quæ Magna Græcia vocabatur, mox parta Sicilia, inde, post secundum bellum Punicum, patefacta armis suis Græcia et Asia, primum deliciarum,

(1) Orat. *dierum dictarum de consulatu suo*. Charisius. Aliqui codices habent *da*; aliqui *dant*. Ex voce autem *do* multo pulchrior et Catone dignior sensus exstat.

(2) *Dierum dictarum de consul. suo*. Charisius.

opum, luxuriæ, quæ in illis urbibus occurrebant, usum fecere; quum, rejecta illa frugalitate et simplicitate, quæ propter ignorantiam divitiarum voluptatumque diu viguerant, moribus populorum quos subegerant subigi se facile passi sunt; quum, deficientibus ditescendi honestis rationibus, ad inhonestas quaslibet, sociorum expilationem, peculatum, cito ventum est; quum denique avaritia et luxuria, « duo illa divorsa, ut ait Sallustius (1), vitia, » sed alterum ab altero ortum, omnia mala et flagitia peperere. Istam inter morum immutationem Romam deductus Cato, vir plebeius, ruri educatus, qui a pueris priscæ illius romanæ frugalitatis præceptis imbutus, eam sibi vivendi normam proposuerat, tot novitatibus, magnificentia ædium, victus et cultus elegantia, effusis sumptibus, græcarum artium studio, graviter offensus est. Itaque totam integri asperique animi vim, ac mordacem illam eloquentiam, vehementia et salibus mixtam, elatam simul et agrestem, quam agendis vicinorum suorum causis jam excoluerat, ad impugnandos novos mores adhibuit, et perpetuum illud suum cum flagitiis ac sceleribus paucorumque supra leges potentia certamen suscepit; quas partes in villa patrifamilias assignat, ipse in republica agens, omnium civium præsertimque magistratuum diligens quasi custos, omnes operum suorum rationem reipublicæ reddere jubens

(1) *Cat.* 5.

nec tantum propter censuram tam severe exercitam, sed propter totam vitam meritus ut Censorius cognominaretur.

Igitur, qui Catonianarum orationum argumenta et fragmenta inspicit, Catonem ubique eadem insectari ac notare animadvertit : domi quidem luxuriam, virorum ac feminarum sumptus, vestem, ornamenta, conviviorum apparatum numerumque convivarum, tabulas, signa, litteras artesque græcas, aptas sane ad excolendum mitigandumque ferum illud et in pessimas voluptates promptum Romanorum ingenium, cupiditatesque subita prosperarum rerum occasione ferocius erumpentes, in melius convertendas, sed Catoni, ut luxuriæ pabulum irritamentumque, semper suspectas; præterea ambitionem, per largitiones sæpius grassantem, nobiliumque opes, qui, erepta jam plebi victoria quam per tam diuturnum certamen de patriciis illa retulerat, consulatum præcipuosque magistratus inter exiguum suorum numerum includebant; foris autem immanem avaritiam, fraudatum præda pecuniaque a magistratibus et publicanis ærarium, direptos impudentissime socios, eosdemque superbiæ, libidini, sævitiæ prætorum obnoxios. Illorum malorum Cato acer et indefessus accusator est ; eorum exempla auctoresque in populum profert ; ideo tot viros summis honoribus functos accusavit, Q. Thermum, L. Quintium Flamininum, Serv. Galbam, P. Furium Philum, M'. Acilium, M. Fulvium Nobiliorem, et, præter

Lucium Scipionem Asiaticum, ipsum Africanum; ideo pro tot legibus, quæ sumptus coercebant, vehementissime luctatus est; ideo toties majorum fidem, justitiam, modestiam, paupertatem, abstinentiam obtestatus est, ita ipse antiquos mores vita sua referens, ut ejus « vociferationibus, » ut aiebant inimici, summa fuerit auctoritas, et, quanquam vivum asperrima odia exercuerint, inter maximos romanæ civitatis viros (1) et tanquam virtutis antiquæ perfectissimum exemplar ab historicis poetisque habitus sit.

Quæ mala, ætate Catonis, jam tanta vi eruperant, ea, post centum annos (2), faventibus tot discordiis totque bellis civilibus, adulta pridem et quasi ad maturitatem suam perducta Sallustius offendebat. Igitur vir nobilitati infensissimus, et Clodiani furoris, dum tribunus fuit, fautor et socius, interemptique amici acerrimus vindex, eodem animo historiam scripturus quo in republica versatus fuerat, facile ab imitatione Catonianæ orationis ad rerum imitationem deductus est; nec mirum est eum, dum convicium dicit sæculo suo, cujus tamen cum vitiis mire videtur congruisse, dum reipublicæ mala vividissime effingit, sæpius argumentis, sententiis,

(1) Virg. *Æn.* 6, 842 : « Quis te, *magne Cato*, tacitum, etc. »

(2) Cato, ut creditur, anno 518 (ant. Christ. 234) natus est, anno autem 605 (ant. Chr. 149) decessit. Sallustius vero anno 668 (ant. Chr. 85) natus, anno 718 (36), mortuus, non ante annum 708 (46), quo Cæsar interiit, scripsisse videtur. Igitur inter mortuum Catonem et *Catilinæ conjurationem* in lucem prolatam, centum et tres anni effluxere.

ipsaque vehementia et asperitate Catonem referre. Igitur majores majorumque virtutes non minus in ore habet quam ipse Cato; non minori indignatione suorum luxuriam et avaritiam, superbiam et crudelitatem insectatur : « Operæ pretium est, quum do-« mus atque villas cognoveris in urbium modum « exædificatas, visere templa deorum, quæ *nostri* « *majores*, religiosissumi mortales, fecere. Verum « illi delubra deorum pietate, domos suas gloria de-« corabant; neque victis quidquam, præter injuriæ « licentiam, eripiebant. At hi contra, ignavissumi « homines, per summum scelus omnia ea sociis « ademere, quæ fortissumi viri victores hostibus « reliquerant : proinde quasi injuriam facere, id « demum esset imperio uti (1). » Ipse sibi, quum « studio ad rempublicam ferebatur, » queritur « multa advorsa » fuisse; nam « pro pudore, pro « abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia « vigebant (2). » Ipse acerrime « lubidinem ganeæ ceterique cultus» notat, et morem illum «terra marique, vescendi causa, omnia exquirendi (3).» Miram sane viri indignationem, qui ipse adolescens patrias opes effusis libidinibus exhausit, qui postea, Africæ præfectus, sociorum bona turpiter diripuit, et a Numidis apud Cæsarem accusatus, non aliter dicitur

(1) *Cat.* 12

(2) *Cat.* 3.

(3) *Ibid.* 13.

debitæ pœnæ ignominiam effugisse, quam partem prædæ judici largiendo! Quis etiam nescit illa priscæ paupertatis præconia, illas luxuriæ suorum gravissimas insectationes, in magnificentissimis ædibus, quas sibi Sallustius ex fortunis sane Africorum in monte Quirinali ædificandas curaverat, inter jucundissimos hortos, præcipuis artium monumentis decoratos, circumfuso ubique luxu omnibusque deliciis, fuisse compositas?

Sed maxime in nobilitatem invehitur, cujus potissimum notandæ causa videtur bellum Jugurthinum narrandum suscepisse. Non enim eum ad scribendum impulit quod ignota suis regio, ignoti et insoliti gentis mores, et nova omnino adversus eam bellandi ratio legentes delectare poterant; aut quod ipsi, locorum et hominum scienti, memoriam belli nobilissimi in ipsa regione licuerat colligere. Ipse, initio libri, diversas plane belli scribendi causas profitetur : « Primum quia magnum et atrox « variaque fortuna fuit, dein quia tunc primum « superbiæ nobilitatis obviam itum est (1) » Nec amplior sane infamandæ nobilitatis eligi poterat materia, quum narranda esset ignominia et inscitia tot legatorum, prætorum, consulum, quos Jugurthæ aut aurum corrupit, aut dolus jugum et indignas pacis conditiones pati coegit. Quæ flagitia L. Opimii, viri ob C. Gracchi necem atrocissimamque

(1) *Jug.* 5.

cædem, quæ secuta est, plebi invisi, et M. Scauri (si tamen Sallustio et Plinio credendum potius quam Ciceroni, qui amplissimis laudibus Scaurum exornat), et consulis Albini, et proprætoris Auli, non modo studiose persecutus est belli Jugurthini scriptor; nec tantum Memmii tribuni Mariique orationes referendo et partim ex animi sui sententia fingendo, nobiles vehementissime perstrinxit; sed etiam a proposito discessit, ut de factionum origine effectibusque dissereret, et nobilitatis potentiam noxiamque de Gracchis victoriam accusaret : « Paucorum arbitrio belli domique agitabatur; penes « eosdem ærarium, provinciæ, magistratus, gloriæ « triumphique erant; populus militia atque ino« pia urgebatur; prædas bellicas imperatores cum « paucis diripiebant; interea parentes aut parvi li« beri militum, uti quisque potentiori affinis erat, « sedibus pellebantur. Ita cum potentia avaritia sine « modo modestiaque invadere, polluere et vastare « omnia (1). » His profecto tam vivide describendis multum contulerunt Catonis orationes, seu de *ambitu*, *seu ne quisbis consul fieret*, seu *de præda in publicum referunda* aut *militibus dividunda*, in quibus graviter mordebantur « fures illi publici in auro et purpura ætatem agere soliti, » ubi notabantur illæ largitiones, quas etiam comparatione sui lepidissime carpit Cato in oratione *de sumptu suo* (2) : « Nun-

(1) *Jug.* 41.
(2) Fronto. *Epist. ad Antoninum*, I, 2.

« quam ego prædam, neque quod de hostibus cap-
« tum esset, neque manubias, inter pauculos
« amicos meos divisi, ut illis eriperem, qui ce-
« pissent... Nunquam ego argentum pro vino con-
« giario inter apparitores atque amicos meos dis-
« didi, neque eos malo publico divites feci. »

Quum autem de sua ætate scribit Sallustius, non magis parcit nobilibus, quorum superbiam sæpius memorat, quos ait « magistratus, provincias alia-
« que omnia tenere, ipsi innoxii, florentes, sine
« metu ætatem agere cæterosque judiciis ter-
« rere (1), » quibus, eo auctore, « quasi pollui
« consulatus videbatur, si eum, quamvis egregius,
« homo novus adeptus foret (2). » Eadem nobilitatis exagitatione referta est M. Catonis de conjuratis oratio, quæ, nisi fallor, non minus quam Marii oratio, Prisci Catonis eloquentiam et ingenium redolet, et magis ad imitationem Censorii ficta, quam ex ipsis Uticensis verbis perscripta fuisse videtur. Certe Catonis nostri tota vis totaque asperitas huic loco inest : « Sed, per deos immortalis, vos ego ad-
« pello, qui semper domos, villas, signa, tabulas
« vestras pluris quam rempublicam fecistis... Non
« agitur de vectigalibus neque de sociorum inju-
« riis, libertas et anima nostra in dubio est... Sint
« sane, quoniam mores ita se habent, liberales

(1) *Cat.* 39.
(2) *Ibid.* 23.

« ex sociorum fortunis, aut misericordes in furibus « ærarii; ne illi sanguinem nostrum largiantur, « etc. » Nec aliter de inimicis suis ac de se prædicare solebat Scipionum adversarius : « Sæpenu« mero, P. C., multa verba in hoc ordine feci, « sæpe de luxuria atque avaritia nostrorum civium « questus sum, multosque mortalis ea caussa ad« vorsos habeo. Qui mihi atque animo meo nullius « unquam delicti gratiam fecissem, haud facile « alterius lubidini malefacta condonabam. » Ea quasi majestate majores nominabat : « Nolite exis« tumare majores nostros armis rempublicam ex « parva magnam fecisse... Alia fuere quæ illos ma« gnos fecere, quæ nobis nulla sunt, domi industria, « foris justum imperium. Pro his nos habemus « luxuriam atque avaritiam, etc. » Quæ quidem, eo temporis articulo, quum præsenti periculo et callidissimæ Cæsaris orationi obluctandum esset, forsan supervacua et parum opportuna, et magis impetu quodam asperæ mentis quam ob rem dicta videntur : unde ea ad scriptorem ipsum et ad imitationem Prisci Catonis pertinere crediderim.

Igitur, seu ipse per se loquens, seu alios inducens loquentes, ea cum Catone habet similia Sallustius ut in luxum, avaritiam, nobilitatem invehatur, ut majores obtestetur priscosque mores novis opponat, denique in historia « censorias notationes faciat, » aut, ut ait Licinianus, « tempora reprehendat sua et delicta carpat et convicia ingerat. » Hæc au-

tem quum Licinianum non fugerint, tum præterea vir, qui jejuna et fastidiosa veterum annalium exilitate historiam circumscribebat, multa alia in Sallustio castigavit, quibus, ut supra dixi, major etiam Catonis imitatio deprehendatur. Scilicet (quod ex loco supra allato patet), *Historiarum* scriptori vitio vertit quod « det in censum loca, montes, flumina, et hoc genus alia; » et quod « culpet et comparet dicendo, » nempe causas rerum ducumque rationes et vitia virtutesque recenseat, et præcipuorum virorum ingenia effingat et nonnunquam inter se componat. Orationes quoque Sallustii, Licinianus (ut, auctore Justino (1), Trogus Pompeius), reprehendebat. Quod si veterum testimonia de libris *Originum* et exstantia fragmenta conferemus cum *Catilina* et *Jugurtha*, et præsertim cum fragmentis illarum *Historiarum*, in quibus scriptor ad maturitatem ingenii sui pervenerat, patebit Liciniani verba ad Catonem magis etiam quam ad Sallustium pertinere potuisse, eaque *Originum* auctori prius tribuenda fuisse quam viro qui illum scribendæ historiæ morem inde sibi vindicavit. Nec male Licinianus et ii qui, ante eum, ad formam *Annalium maximorum* res narrabant, redarguuntur his Catonis verbis, ex quarto *Originum* libro de-

(1) XXXVIII, 3 : « Pompeius Trogus in Livio et Sallustio reprehendit quod conciones directas.. operi suo interserendo historiæ modum excesserint. »

sumptis : « Non lubet scribere quod in tabula apud « pontificem maxumum est, quotiens annona rara, « quotiens lunæ aut solis lumini caligo aut quid « obstiterit (1). »

Ac primum quidem afferendum est luculentissimum Cornelii Nepotis in *Catonis Vita* (2) de *Originibus* testimonium : « Senex historias scribere instituit, quarum sunt libri septem. Primus continet « res gestas regum populi Romani; secundus et « tertius unde quæque civitas orta sit Italica; ob « quam rem omnes videtur *Origines* appellasse; in « quarto autem bellum Punicum primum, in quinto « secundum; atque hæc omnia capitulatim sunt « dicta; reliquaque bella pari modo persecutus est « usque ad præturam Serv. Galbæ qui diripuit Lusitanos. Atque horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit. In eisdem « exposuit quæ in Gallia Hispaniisque viderentur « admiranda. In quibus multa industria et diligentia comparet, multa doctrina. » Errasse autem Cornelium qui nomen *Originum* secundum tantummodo et tertium librum decuisse dicat, illud autem ad primum quoque et quatuor posteriores proprio jure pertinere, recte monuit Wagener (3).

(1) Gellius, II, 28.

(2) c. 3.

(3) *M. Porcii Catonis fragmenta.* — Pag. 4, sqq. — In libro nuper edito (M. Porcii Catonis *Originum* libri septem. Brandenburgii, 1858) Dr Albertus Bormann longe aliam Catonianorum librorum rationem

Nam ex variis testimoniis fragmentisque patet Catonem in primo libro ipsas Romæ origines, repetitis Aboriginibus et Trojanis (1), explicuisse, et deinde Pisarum (2), Antemnæ (3), Sabinorum (4), prout res Romanas narranti ii populi urbesque occurrebant, esse persecutum. Nec ab illa ratione in postremis libris videtur discessisse; nam non pauca quarti fragmenta ad Carthaginiensium regionem, mores, civilem rationem militaremque disciplinam spectant (5). In quinto autem, quum Hispanicum bellum a se gestum scriptor explicaret, descripta fuerat pars

fuisse affirmat, nec in eis de Romanorum historia et de bellis Punicis egisse Catonem, sed tantum de originibus omnium urbium et gentium quæ cum populo Romano bellum aut amicitiam habuerant; ita ut, inducendi tantum propositi sui causa, bella commemorarit. Quum autem illa rerum explicatio cum testimonio Cornelii Nepotis omnino pugnet, multum laborat Bormann ut locum illum gravissimum suæ causæ accommodet. Equidem fateor ejus argumenta mihi infirmissima videri, et per ejus interpretationem, me judice, multo plura quam ante in Cornelii Nepotis testimonio dubia incertaque effici. Quare Wagener opinionem potius sequar.

(1) Dionys. Halic. A. R. I, 11, 13. Priscianus, V, p. 668, VI, 696; Servius ad *Æn.* I, 6, XI, 316.

(2) Serv. ad *Æn.* X, 176. Cato (*Orig.* I) qui Pisas tenuerint ante adventum Etruscorum negat sibi compertum, sed inveniri Tarchontem, Tyrrheno oriundum, postquam eorum locorum dominium ceperit, Pisas condidisse, quum ante regionem Teutanes quidam græce loquentes possederint.

(3) Prisc. VI, 15.

(4) Dionys. II, 49.

(5) Serv. ad *Æn.* IV, 683. « De tribus istis partibus politiæ, populi, optimatium, regiæ potestatis, ordinatam fuisse Carthaginem » (conf. Cic. de *Rep.* II, 23). — Gellius, V, 21. « Compluriens eorum milites mercenarii inter se... etc. (Vid. pag. 33.)

Hispaniæ citra Hiberum sita, quod manifestum est ex insigni loco de metallis hujus regionis et de cœli temperie : « Sunt in his regionibus ferrariæ, « argenti fodinæ pulcherrumæ, mons ex sale mero « magnus; quantum demas, tantum adcrescit. Ven« tus Cercius, quum loquare, buccam implet, arma« tum hominem, plaustrum oneratum percellit (1). » Præterea in eodem libro, occasione belli Illyrici, Cato de fluvio Illyriæ Narone nonnulla habebat (2). Quum vero ex sexto unum tantummodo fragmentum exstet, septimus certe, qui bellum adversus Celtiberos continebat, priorum rationem retinuerat. Nam in eo descriptus erat fluvius Hiberus « qui ori« tur ex Cantabris, magnus atque pulcer, pisculen« tus (3). » Igitur ubique sibi constitit Cato, et in scribendis Romæ annalibus, originem uniuscujusque urbis, ubi se offerebat, statim indagavit, quæ ad regionis situm, fructus, opes, populorum mores et instituta, resque ex priscis ætatibus memoria dignas, spectabant, semper repetens.

Exemplis supra laudatis satis erit pauca addere. In secundo libro, Cato, de Latinis gentibus Latinoque fœdere, ut videtur, agens, postquam Ariciæ et Prænesti, « cui oppido nomen inditum, quia is locus montibus præstet (4) », historiam exposuerat,

(1) Gell., II, 22.
(2) Nonius, verbo *pisculentus*.
(3) *Idem, ibid.*
(4) Serv. ad *Æn.* VII, 682.

de Tiburis origine et situ multa referebat, inter quæ ea : « In campo Tiburti ubi ordeum demessuit, idem « in montibus serit, ubi ordeum idem iterum me- « tit (1); » ac postea, quum ad bellum Gallicum accederet, de Cisalpinæ Galliæ populis disserebat, mores Gallorum his verbis adumbrans : « Pleraque « Gallia duas res industriosissume persequitur, rem « militarem et argute loqui (2) ». Multa insuper alia de Gallis e Catone hausit Plinius (*Hist. nat.* III, 19-24) et de Liguribus Servius (*ad Æn.* XI, 700, 715). In eodem libro Larium lacum (3) et Ariminiensem agrum (4) descripserat Cato. Liber autem tertius inferioris Italiæ urbes, fluvios, opes, veterem historiam recensebat (5). Quæ omnia abunde probant in Catonem quam maxime cadere Liciniani reprehensionem, eumque « loca, montes, flumina et hoc genus alia in censum dedisse. » Utrum vero cetera quoque sibi vindicet, et « culpet comparetque dicendo, » nunc quærendum.

Quanquam, teste Cornelio atque etiam Plinio (6), imperatorum nomina, aut mira quadam hominis plebeii et novi in nobiles infensione, aut quoniam præcipue bella recentia et omnibus nota narrabat, *Originibus* detraxerit Cato, tamen eum non uno in

(1) Priscianus, X, 8, 47.
(2) Charis. II, p. 181.
(3) Serv. *Georg.* II, 159.
(4) Varro, *de re rust.* I, 257.
(5) Vid. Wagener. M. Porcii Catonis *Orig. fragmen a*, p. 44-46.
(6) *Hist. nat.* VIII, 5.

loco de hominibus institutisque civitatum disseruisse, quædam culpasse, quædam inter se comparasse, vel supra laudata fragmenta demonstrant. Hoc genus sunt quæ de Gallorum moribus et de Carthaginiensium civili et militari re attuli. Sed uno præcipue exemplo manifestus apparet mos ille narrationem rerum sententiis abrumpendi, animique sensus obiter expromendi : nobilem locum significo quo Cœdicii tribuni narratur facinus egregium. Gellius nempe (1), postquam suis primum verbis rem exposuit, ipsas deinde Catonis voces attulit, dignissimas sane memoria, quum propter pressum et animosum eloquentiæ genus, tum propter sententias quibus quasi concluditur narratio : « Dii immortales tribuno militum fortunam ex vir« tute ejus dederunt. Nam ita evenit : quum saucius « multifariam ibi factus esset, tamen vulnus capiti « nullum evenit, eumque inter mortuos, defatiga« tum vulneribus atque quod sanguen ei defluxerat, « cognoverunt. Eum sustulere, isque convaluit, sæpe« que post illa operam reipublicæ fortem atque « strenuam perhibuit, etc.. Sed idem benefactum « quo in loco ponas, nimium interest. Leonidas Laco « qui simile apud Thermopilas fecit, propter ejus « virtutes omnis Græcia gloriam atque gratiam præ« cipuam claritudinis inclitissimæ decoravere mo« numentis, signis, statuis, elogiis, historiis, aliis-

(1) *Noct. att.* III, 7.

« que rebus gratissimum id ejus factum habuere. « At tribuno militum parva laus pro factis relicta, « qui idem fecerat atque rem servaverat. » Ea autem non sine aliquo animi dolore et Græciæ obtrectatione scripta meminerat sane Sallustius, quum in Catilina (1) ita disserebat : « Sed profecto fortuna « in omni re dominatur ; ea res cunctas ex lubidine « magis quam ex vero celebrat obscuratque. Atheniensium res gestæ, sicuti ego æstumo, satis am- « plæ magnificæque fuerunt ; verum aliquanto mi- « nores tamen quam fama feruntur. Sed quia « provenere ibi scriptorum magna ingenia, per ter- « rarum orbem Atheniensium facta pro maxumis « celebrantur. Ita eorum qui ea fecere tanta virtus « habetur, quantum verbis ea potuere extollere « præclara ingenia. At populi Romani nunquam ea « copia fuit, quia prudentissumus quisque maxume « negotiosus erat ; optumus quisque facere quam « dicere, sua ab aliis benefacta laudari quam ipse « aliorum narrare malebat. »

Num autem *Originum* scriptor etiam oratoribus a Liciniano adscribi potuerit, minime dubium, quoniam orationes, imo ab ipso habitas, solitus fuerit rebus intermiscere. Pulcherrima certe illa *pro Rhodiensibus* oratio, tanta vi et spiritu et sublimitate, simul sale et acerbitate mixta, auctore Gellio (2), non seorsum

(1) c. 8.
(2) VII, 3.

modo edita, sed in quinto etiam *Originum* libro scripta fuerat. Atque idem Gellius libri VI locum affert (1) qui ad orationem Catonis adversus Carneadem in senatu habitam spectare videtur. In libro quoque septimo suam Cato adversus Serv. Sulpicium Galbam orationem retulerat, quod testantur et Cicero in *Bruto* (2) et T. Livii Epitome (3).

Quam multa igitur in ratione scribendæ historiæ Catonem inter et Sallustium fuere similia! De orationibus quidem supervacuum est dicere, quum nulla hujus virtus, vel, ut quibusdam placuit, vitium, magis notum sit. Morem autem disserendi multa jam in toto hoc opusculo allata exempla satis approbaverunt. Ipsa illa principia, quæ quum ab aliis, tum ab ipso Quintiliano (4), tanquam nihil ad rem pertinentia, Sallustio objecta fuerunt, nescio an inde sumpta fuerint. Constat certe *Origines* prooemium ejusdem generis habuisse, cujus aliqua loca exstant. Hæc enim verba, quæ prima *Originum* erant, servavit grammaticus Pompeius (5) : « Si ques sunt homines quos delectat populi Romani res gestas des-

(1) XX, 5. « Itaque ego cognobiliorem cognitionem esse arbitror. » Verbum autem *cognobilis*, teste Gellio, hoc loco idem est ac ξυνετός.

(2) 13. « M. Cato, legem suadens in Galbam, multa dixit; quam orationem in *Origines* suas retulit. »

(3) Lib. 49. « Exstat oratio in annalibus ejus inclusa. »

(4) III, 8. « Crispus Sallustius in bello Jugurthino et Catilinario nihil ad historiam pertinentibus principiis orsus est. »

(5) Pompeius, *Comm. art. Donat.* p. 254. Ed. Lindm.

cribere. » Præterea, Cicero (1) laudat *ex Originum principio* sententiam quam ait se semper magnificam et præclaram putavisse : « Clarorum virorum « atque magnorum non minus otii quam negotii ra- « tionem exstare oportere. » Ea autem cum sententiis Sallustii in principio *Catilinæ* ac præsertim *Jugurthæ* mire congruunt. Qui autem ea prooemia omnino damnant, mihi severi ultra modum judices videntur; nam scriptorem, quo animo, qua ratione scripturus sit, lectoribus exponere par est. Nec ego ipsa per se Sallustii culpanda prooemia crediderim, sed tantum quod orationis tenore magnificisque sententiis utrumque, et præcipue prius, ad declamationem propius accedat.

Supersunt tantum conferenda ea quæ ad locorum situm, populorum mores veteremque historiam in Sallustio pertinent. Quæ quidem non omnia invenias in *Catilina*, quoniam eo libro res domestica, neque extra Romam ipsam aut saltem Etruriæ fauces progressa agitur. Sed, quanquam Sallustii propositum ab origine et initiis urbis Romæ alienissimum erat, tamen prima illa tempora repetere, et occasione præsentium morum antiquos prædicare non omisit. Eum autem de priscis Italiæ cultoribus urbisque Romæ conditoribus Catonis auctoritatem secutum esse testis est Servius (2), et ex primo *Originum*

(1) *Pro Plancio*, 27.

(2) Ad *Æn.* I, 6 : « Cato in *Originibus* hoc dicit, cujus auctoritatem sequitur Sallustius in bello Catilinæ : Primo Italiam tenuisse quos-

libro totum hunc locum sumpsisse (1): « Urbem « Romam, sicuti ego accepi, condidere atque ha« buere initio Trojani, qui, Ænea duce, profugi, « sedibus incertis vagabantur : cumque his Abori« gines, genus hominum agreste, sine legibus, sine « imperio, liberum atque solutum. » De virorum autem ingeniis et comparatione dicere supervacuum est. Quam vivide enim et acute et presse Catilinæ, Cæsaris Catonisque indolem expresserit, nullus nescit.

In Jugurthino bello ad *Originum* rationem propius accedit Sallustius, et Liciniani censuræ magis patet. Quanquam enim nobis recentioribus, qui locorum, morum, institutorum in historia maxime curiosi sumus, Sallustius non satis ample et expresse Libyæ situm videtur descripsisse, et multa sane dubia et obscura reliquit, tamen laudandum illud a more plerorumque veterum, præsertim Romanorum, alienum, quod geographiæ in scribendis rebus aliquem locum tribuerit, quodque, præter Africæ descriptionem, originem quoque gentium Africam incolentium et præcipue Numidarum, conditas a Phænicibus et Græcis urbes, ipsumque initio belli Jugurthini Africæ statum, explicuerit (2). *Originum* quoque morem secutus est, quum, a proposito

dam qui appellabantur Aborigines. Hos postea, adventu Æneæ Phrygibus junctos, Latinos uno nomine nuncupatos. »

(1) *Cat.* 6.

(2) *Jug.* 17, 18, 19.

digressus, factionum initia, causasque et effectus, ut supra monui, repetiit, et quum, per alteram digressionem, Philænorum fratrum memorabile facinus (1) narravit; cujus modi narrationes Catonem multum juvisse videntur, et, præter Cœdicii factum, non semel in *Originum* fragmentis occurrunt (2).

Nunc vero ad *Historias* Sallustii accedimus, quibus maxime ille meritus erat ut inter primos Romanorum historicos, vel etiam a quibusdam primus omnium (3) diceretur. Quæ *Historiæ*, duodecim annorum spatium, a Syllæ abdicatione (79) ad legem Gabiniam (67), qua Pompeio conficiendi belli piratici cum extraordinario imperio cura data est, quinque libris (4) complexæ, gravissimasque res et nobis male notas continentes, scilicet bellum Sertorianum, Mithridaticum, piraticum, civilesque dissensiones a Lepidi turbis usque ad restitutam a Pompeio tribuniciam potestatem, hujusque viri

(1) *Jug.* 79.

(2) Gellius, XVII, 13, laudat hæc ex libro *Orig.* II : « Neque satis habuit quod eam in occulto vitiaverat, quin ejus famam prostitueret. » Recte monet Wagener (p. 39) hæc non ad Lucretiam, sed ad causas Gallorum adventus in Italiam spectare. (V. Dio, excerpt. Ambros. ed. Ang. Mai. XIII, 14.) — Etiam in libro III hæc occurrunt : « Equos respondit : oreas mihi inde, tibi cape flagellum. » (Festus, Oreæ). Quibus confer Arist. *Rhet.* II, 29. Horat. *Serm.* I, 10. Muellerus (ad Festum) putat fabulam ab Aristotele narratam tum Catonem inseruisse, quum Himeræ urbis origines illustraret.

(3) Martialis (XIV, 191) : Crispus Romana primus in historia.

(4) Quidam *sex* libros, imo *novem* et *duodecim* fuisse putant. Quum autem nullus unquam locum aliquem afferat nisi ex quinque primis, non majorem fuisse librorum numerum credendum est.

gratiam et opes ad summum provectas, maximæ sane et utilitati et voluptati nobis fuissent; ipsaque fragmenta, sæpe plena jucunditatis, efficiunt ut totum opus interiisse molestius feramus. Quod quidem restituere et universam rerum effigiem quasi repræsentare nonnulli conati sunt; inter quos præcipue Carrio, et, multo posterius, vir inter nostrates nobilis De Brosses, et, recentissime quidem, Frid. Kritzius, professor Erfurtensis, nimio sane fastidio priores, et præsertim De Brosses, prosecutus, sed qui, ut mihi videtur, multa in melius distribuit, nova addidit, falsa rejecit, denique doctrina, judicio et cura adeo insignis, ut ad contumelias, quæ inermium tela esse solent, eum descendisse dolendum sit. Hujus vero distributionem in fragmentorum recensione, indicato tamen simul vulgari ordine, sequar..

Quamvis Quintilianus de *Historiarum* prooemio sileat, tamen ex fragmentis constat Sallustium his quoque libris, Catoniano et suo more, exordium fecisse, de consilio illius operis et de prioribus historicis disserendo. Librorum initium erant (1) hæc verba : « Res populi Romani, M. Lepido et Q. Ca« tulo coss., ac deinde militiæ et domi gestas com« posui. » Quo in exordio, Catonem qui « Romani generis disertissumus paucis absolvit, » Fannium,

(1) Donat. ad Virg. *Æn.* I, 1. Prisc. XV, 2, 6; XV, 3, 17.

aliosque « doctissumos » dictos (1) recensebat, et præterea, ut in procemio *Catilinæ* (2), profitebatur « divorsam partem (id est popularem) in civilibus « armis ipsum non movisse a vero (3). » Deinde rerum quæ, M. Lepido consule, evenere origines causasque repetiturus, priores de libertate et dominatione dissensiones, bellum sociale, bellum civile inter Marium et Syllam, Syllæ dictaturam et proscriptiones, breviter explicabat, sic quoque Catonianæ rationis suæque in *Catilinæ* et *Jugurthæ* bello tenax. Illud vero evincitur aliquot amplis luculentisque fragmentis, ubi de avaritia et ambitione multa *Catilinæ* et *Jugurthæ* « censoriis notationibus » similia inveniuntur. Postea autem, constitutam sibi materiam adortus, scriptor Lepidi turbas et bellum Sertorianum, ipsum quoque ab initiis repetitum, enarrabat. Quum vero totum Sallustii opus et probabilem rerum ordinem persequi mihi non sit propositum, quæ ad locorum, morum, ingeniorum descriptionem spectant, ideoque *Originum* institutum referunt, attingere satis habebo.

Igitur, de Sertorio dicturus, ipsius primum ingenium prioremque vitam illustrabat (4), et quo

(1) Servius, ad Virg. *Æn.* II, 89 : « Nos in tanta doctissumorum hominum copia. »

(2) *Cat.* 4.

(3) « Neque me divorsa pars in civilibus armis movit a vero. » (Arusianus.)

(4) Kritz. lib. I, *fragm.* 62, 65.

« imperio modico et eleganti percarus Hispanis » fuerit, ejusque commorationem in Mauritania, et in Fortunatas insulas confugiendi consilium explicabat. Ibi vero nonnulla habebat de insulis illis quas « inclitas esse Homeri carminibus » dicebat et de Mauris « vano genere » et de Africæ incolis terræque natura (1). Nec ab illa ratione unquam discedit Sallustius; quippe qui bellum contra piratas a P. Servilio gestum narraturus, de piratarum origine et ætate disputet (2), et de Coryci, urbis Ciliciæ, quam oppugnavit Servilius, situ opibusque meminerit (3). Quum autem, libro secundo, res in Sardinia et Corsica, quo Lepidus et Perpenna confugerant, exponit, in earum quoque insularum situ et antiquitatibus aliquamdiu moratur (4). Longum et supervacuum sit omnia ejusdem modi exempla referre, et Hispanorum ingenii (5), et Pisidiæ ac Pamphyliæ (6) descriptionem, et quæ, in tertio libro, nunc belli Macedonici occasione, de Danubio et Germanis (7), nunc,

(1) Kritz *fr.* 67-70.

(2) Serv. ad Virg. *Æn.* VIII, 725 : « Cares insulani populi fuerunt, piratica famosi, victi a Minoe, ut et Thucydides et Sallustius dicunt.»

(3) Nonius III, 72. Serv. ad Virg. *Georg.* I, 56.

(4) Gellius, XIII, 29 : «Sardinia in Africo mari facie vestigi humani in orientem quam in occidentem latior prominet. » — Isid. XIV, 6 : « Sardus, Hercule procreatus, cum magna multitudine a Libya profectus, Sardiniam occupavit et ex suo vocabulo insulæ nomen dedit.» — Vide etiam Serv. ad *Æn.* I, 299, VI, 14, 601.

(5) Kritz II, *fragm.* 18, 19, 20, 24.

(6) *Ibid.* *fr.* 38, 40.

(7) *Ibid.* lib. III, *fr.* 55-58.

propter bellum piraticum, de Cretæ insulæ positu et antiquis religionibus (1) memorabantur. Nec aliter, in quarto libro, quum Lucullus Mithridatem in regnum Tigranis fugientem persequebatur, de Euphratis Tigrisque fonte, de Mesopotamia et Armenia (2), atque, in enarrandis Spartaci extremis conatibus Crassique victoria, de Italiæ inferiore fretoque Siculo (3) scriptor meminerat.

Consulto seposui illam Ponti et circumjacentium terrarum descriptionem, quæ apud veteres adeo nobilis fuit, ut soleant grammatici, quoties locum aliquem ex illa afferunt, non *Historias* nominare, sed Sallustium *de situ Pontico* aut *in situ Pontico* (4) : unde quidam falso crediderunt scriptum fuisse a Sallustio peculiarem *de situ Ponti* librum. Quum autem perpetuus hic ejus mos sit, ut, simul atque in aliquam regionem, narrandi causa, legentes transfert, de ipsis primum locis populisque disserat, ego cum Kritzio crediderim illam digressionem pertinuisse ad librum tertium, quo anno victum Mithridatem et in Pontum se recipientem Lucullus acerrrime persecutus est, et jam ad Pontica littora urbesque belli contagio pervenit. Igitur famosi illius maris et Ro-

(1) Kritz. III, *fr.* 60-64.
(2) *Idem.* IV, *fr.* 12, 13, 19.
(3) *Ibid. fr.* 34-40.
(4) Nonius : « Ita et Sallustius *in situ Ponti* de promontariis Paphlagonum .. posuit. » Porphyrio ad Hor. Od. I, 17, 18 : « Teia autem dicta est a Teio, Anacreontis, poetæ lyrici, oppido, quod in Paphlagonia esse Salustius indicat, quum *de situ Ponti* loquitur. »

manis minus noti oras relegebat Sallustius, a Bithynia, quæ ab occidente prima occurrebat, exorsus, quod patet ex hoc fragmento : « Igitur introrsus « prima Asiæ Bithynia est; multis antea nominibus « appellata. Ipsa enim est et major Phrygia (1). » Deinde, Paphlagoniam ingressus, patriam Anacreontis urbem, Teium (2), Paphlagoniæ promontoria (3); in Cappadocia autem « campos Themyscirios, quos habuere Amazones (4); » deinde Scythas Nomades (5); ac, postquam ad littus septentrionale devenerat, Tauricam (6) et ferocissimas hujus peninsulæ gentes nominabat. Recognita autem tota ora, de ipso mari disserebat, « quod speciem efficit Scythici arcus (7) » et de undarum sapore « dulciori quam cæteræ sunt (8) » et de « crebritate fluctuum » ac « magna piscium vi » quam Aquilo ex Ponto ad littus Byzantinum compellere solet (9). Quæ omnia abunde monstrant quam late patuerit illa descriptio, et laudibus Festi Avieni in *Ora maritima* (10) fidem facile faciunt.

(1) Serv. ad Virg. *Æn.* V, 373. — Kritz, III, *fr.* 43.
(2) Porphyrio.
(3) Nonius.
(4) Servius ad Virg. *Æn.* XI, 659.
(5) Porphyr. Hor. Od. III, 24, 9. « Scythæ Nomades tenent, quibus plaustra sedes sunt. »
(6) Schol. ad Juv. sat. XV, 115.
(7) Servius ad Virg. *Æn.* III, 533,
(8) *Ibid.* I, 228.
(9) *Ibid.* I, 116, IV, 132.
(10) Vers. 32 sqq.

Interrogasti, si tenes, Mœotici

Non minorem in libris Sallustii locum tenuisse virorum ingenia, præter laudata jam exempla, argumento sunt et quæ de Pompeio et quæ de Mithridate in fragmentis leguntur. Horum priorem quidem quo odio fuerit persecutus, jam supra dictum. Præter autem illud judicium quo exarsit Lenæus, non sane benevolentiæ causa scripta erant hæc de eodem Pompeio : « Sed Pompeius a prima adoles-« centia sermone fautorum similem fore se credens « Alexandro regi, facta consiliaque ejus quidem « æmulatus erat (1). » Præterea, in epistola ejusdem ad senatum (2), quanquam ipsas Pompeii sententias videtur retinuisse Sallustius, tamen ita res et verba composuit, ut viri fastus et superbia manifestius apparerent. De Mithridatis vero genere, majoribus, regnandi initiis, moribus et ingenio, multa scripta fuisse (3) non mirum est, quum ille tam formidabilis Romani nominis hostis exstiterit, et in narrandis Romanorum cum barbaro rege bellis magna pars Sallustii librorum versatura esset.

Sinus quis esset æquoris. Sallustium
Noram id dedisse, dicta et ejus omnibus
Præjudicatæ auctoritatis ducier
Non abnuebam. Ad ejus igitur inclitam
Descriptionem, qua locorum formulam
Imaginemque expressor efficax stili
Et veritatis pene in obtutus dedit
Lepore linguæ, multa rerum junximus
Ex plurimorum sumpta commentariis.

(1) Nonius, IV, 13.
(2) Anno 74. Kritz. lib. III, *fr.* 1. Burnouf, *ibid.* fr. 11.
(3) Kritz. lib. II, *fr.* 53-57. Burnouf, incerta fragm.

Ad finem jam meæ quæstionis perveni : nam de duabus ad C. Cæsarem epistolis, quas multi Sallustio tribuerunt, consulto reticui. Harum nempe epistolarum, quæ in codice Vaticano, orationibus epistolisque ex *Historiis* Sallustii subjunctæ, nullo auctoris nomine inscripto, repertæ sunt, quarum præterea nullum omnino locum laudant grammatici, posterior quidem ordine (quam noster Burnouf priorem posuit), vix mihi videtur posse tribui Sallustio. Præter enim quod multa in rebus dubia et incerta sunt, nec satis patet quo temporis in articulo scripta fuerit epistola, quidve sibi potissimum proposuerit, multa et in sententiis, et in dicendi ratione, declamatorem, referendæ Sallustianæ orationis studiosum, redolent. Nec ille, me judice, Sallustium imitatus est; sed potius voces sententiasque ex Sallustii libris arreptas, et magnificas hujus de se professiones opusculo suo intexuit. Ea vero, pene ad verbum expressa, adeo multa sunt, tamque temere collocata, ut vel inde fraus patere mihi videatur. Prior autem epistola, virum sane rerum civilium prudentissimum decet; et qui eam scripsit partium ac totius reipublicæ, post Cæsaris victoriam, statum optime perspexerat. Præterea non in ea longum procœmium, nec scriptoris de semetipso prædicatio, nec fastus orationis : recta omnia, et pressa, et pene nuda sunt. Cur autem ibi Sallustiana illa figurarum audacia priscique sermonis affectatio non appareant, forsan hæc causa fuerit, Sallustium non, ut in operi-

bus ad historiam pertinentibus, ex præstituta quadam ratione, sed tantum ex animo ea scripsisse. Utcumque autem res sese habet, non cujuslibet sane declamatoris fuit illa epistola, nec Sallustii ingenio indigna est. Quum tamen res dubia pendeat, neque istæ epistolæ institutam mihi Sallustii cum Catone comparationem quidquam juvent, eas mihi omittendas credidi.

Igitur illa, quæ supra est, Catonis Sallustiique operum aut fragmentorum recensio, facile, nisi fallor, evicerit quod initio affirmaveram, Sallustium non Catoniana modo verba, et scribendi genus ac colorem, et sententias imitatum fuisse; nec tantum, quum de republica aut ipse loquitur, aut alios loquentes facit, cum sensibus Catonis mire congruere; sed etiam historiæ scribendæ legem ad *Originum* formam sibi constituisse. Quæ quum imitatio ad multas sane res pertinere visa sit, nunc tamen quid a Catone distet Sallustius, quid ab aliis et præsertim a Thucydide mutuatus videatur, quibus præterea virtutibus propriis ac plane suis scriptor magnus et ipse aliis imitandus exstiterit, dicendum, et illa disputatione facienda hujus opusculi conclusio.

CAPUT IV.

Quid a Catone distet Sallustius; quæ ex Thucydide arripuerit; quid autem illi et nocuerit et profuerit Censorii imitatio.

Quamvis egregia quadam animi ingeniique vi æquales suos in scribendo et præsertim in dicendo supereminuerit Cato, tamen non pauca in eo rudem vetustatem arguunt. Præter enim multas horridas voces, abest ab ejus operibus cura et nitor; absunt illi numeri, quibus, ut ait Cicero, apta fit oratio; nec verba inter se componuntur et coagmentantur (1). Non unus ei et sibi constans dicendi tenor : omnia, ut ita dicam, nativa, et qualia primus animi impetus tulit; ita ut interdum vehemens et incitata sit oratio, interdum autem, quum dicentis remissi affectus, languere videatur. Nondum enim, sicubi natura et ardor mentis defecerint, ars adjuvat; nondum præsto est *artifex stilus* (2). Etsi vero

(1) *Brutus*, 17.
(2) *Brutus*, 25.

Sallustius, affectata illa veterum simplicitate et vi etiamque asperitate, ab oratione tersa et molli et numerosa consulto recedat, et fractus sæpius, ut diximus, abruptusque in dicendo sit, tamen manifesta est in ea ipsa antiquitatis affectatione industria, manifestus labor; nec illud veteres fefellerat (1), inter quos Gellius eum « subtilissimum brevitatis artificem » optime dixit. Itaque in eo desideres illam Catonis ingenuam sinceritatem; ideoque etiam minus varia et jucunda ejus orationis species; et, quum sæpius ab eo caveas, eumque a modo discessisse arbitreris, jam tibi non oratio tantum, sed res ipsæ suspectæ fiunt.

Etenim, in rebus quoque, et præsertim quæ ad civitatis statum pertinent, quanquam plurima ex ipso Catone arripiat, et eadem mala et vitia insectetur, multum a Censorio discrepat Sallustius. Nempe Cato quidem ipsi in universum nobilitati non adversatur; et, dum æquæ libertati favet, ac suum cuique jus repetit, eam tantummodo libertatem, id jus vindicat quod leges statuere. Attuli jam (2) præclaram illam bene moratæ civitatis definitionem : « Jure, lege, libertate, republica, communiter uti « oportet, gloria atque honore quomodo sibi quis- « que struxerit; » unde patet eum non, more quo-

(1) Quintil. X, 3 : « Sane manifestus est Sallustii ex ipso opere labor. »

(2) Vid. pag. 31.

rumdam qui æqua omnia inter cives volunt, virtuti et honori per virtutem parto invidisse, sed tantum noluisse inter paucos viros, nobilitate et divitiis potentes, includi magistratus, uniusque, vel gloria et meritis præcipui, omnes honores esse, et quemquam supra leges assurgere. Inde ejus cum tot optimatibus ipsoque Scipione Africano certamina. Sed adeo non ipsi nobilitati infensus fuit, ut contra non sine ferocia jactaverit modestum et plus quam plebeium illorum virorum decus qui ipsi sui nominis hæreditatem transmiserunt. Teste enim Plutarcho (1) « Marcum patrem ut egregium virum et strenuum militem laudabat, et Catonem etiam proavum referebat dona militaria sæpius obtinuisse, et, quum bellatores equos quinque in pugnando amisisset, pretium ei ex ærario virtutis causa redditum. Solebat autem dicere se *novum ad magistratus et claritatem, sed factis majorum virtutibusque pervetustum.* » Sallustius autem ipsam nobilitatem violento odio persequitur, et in ea infamanda ita acerbus est, ut tribunum, popularium partium acerrimum propugnatorem, ubique arguant ejus insectationes.

Rursus Cato in divitias ipsas non invehitur, nec eas improbat, dum puro ex fonte derivatæ sint. Imo vero, in libro *de re rustica* (2) hæc scrip-

(1) Plut. in *Cat. maj.* c. I. Vid. et in orat. de *sumptu suo* : « Majorum beneficia perlecta. »

(2) *Proœmium.*

sit : « Ego mercatorem strenuum studiosumque rei quærundæ existimo. » Ipse autem docet quomodo « honeste » res quæri possit, et quæstum ex agricultura, ut omnium « maxime pium » laudat. Nec vero queritur quod non eædem omnibus et pares fortunæ sint ; et « suo quemque uti » æquum censet : « Si « quid est quod utar, utor, si non est, egeo. Suum « cuique per me uti atque frui licet (1), » non alia de opibus professus ac de gloria atque honore, quibus utendum judicat « quomodo sibi quisque struxerit. » Igitur, ut supra monui, luxuriam tantummodo, quæ non nisi inhonestis artibus ali poterat, et avaritiam, quam sociorum et ærarii expilatio explebat, acerrime per totam vitam insectatus est. Sallustius contra, cujus verba cum factis perpetuo pugnant, hæc jactat : « Pecuniam nemo sapiens concupivit (2). » Quum se ipse scribendo damnet vir opulentissimus et pessimis artibus adeptus opes, pecuniæque contemptum in magnificis ædibus professus, ideo semper modum excedit : si quis enim semel a vero digressus est, nullus errandi finis.

Jam vero Cato rerum novarum non studiosus est, nec legibus agrariis aut frumentariis largitionibus favet. Argumento sunt hæc e Plutarcho (3) : « Quum plebem romanam inconsulte frumentariæ largitionis

(1) Orat. *de suis virtutibus*. Gell. XIII, 23.
(2) *Cat.* XI.
(3) *Cato major*, 8.

et agrorum distributionis cupidam dehortaretur, ita orationem exorsus est : « Difficile est, cives, verba facere apud ventrem cui non sunt aures. » Quanquam aliquando obiter et quasi per jocum illos tangit qui contra Liciniam de quingentis jugeribus legem faciebant; et facete in multos senatorii ordinis cavillatur in oratione pro Rhodiensibus : « Quid nunc? ecquæ tandem lex est tam acerba « quæ dicat : si quis illud facere voluerit, mille « nummi, dimidium familiæ mulcta esto; si quis « plus quingenta jugera habere voluerit, tanta « pœna esto; et si quis majorem pecuum nume- « rum habere voluerit, tantum damnas esto? At- « que nos omnes omnia plura habere volumus, et « id nobis impune est. » Sed satis habet illa verba dixisse, et a Gracchorum prædicatione, quam in Sallustii *Jugurtha* legimus (1), tota ejus vita et de republica sensus longe abhorruissent.

Igitur, quamvis multa a Catone mutuatus sit Sallustius, quamvis etiam, quum uterque in adversando plurimum versarentur, Catonis species, ipsæque, ut ita dicam, vestes Sallustium decuerint, tamen a Sallustio omnino abest Catonis ingenua quasi veritas : ubique se nudat declamatio; eadem utriusque forma, idem habitus, ipsi autem per se viri longe dissimiles. Nec melius illam Catonis cum Sallustio comparationem concludam quam afferendo

(1) C. 42.

verba quæ de eo habuit vir cui meam hanc qualemcumque commentationem dedicavi, et qui in Schola Normali et in Franciæ Collegio, multam Catoni operam impenderat, ideoque magnam hujus dissertationis partem suo jure sibi vindicare possit : « Caton « n'appartenait pas à ces oppositions aventureuses qui « battent en brèche la société avec des idées : positif « et pratique, respectant l'expérience, le travail, la « gloire, les vertus militaires, la grandeur du passé, « religieux sans superstition, il avait à son service « toutes les grandes idées, et son génie puisait à « pleines mains dans tous les trésors de l'âme, et pour « ainsi dire de l'éloquence. Peut-être ses habitudes « un peu triviales rabaissaient-elles parfois ces idées « et ces sentiments; mais hélas! il ne faisait peut-être « par là que les descendre à la portée de l'humanité, « et leur donner la vie et la réalité. Les petites fai« blesses que montre l'homme sont le cachet de sa « nature; la tache qu'elles laissent sur tout ce qui se « trouve de brillant en lui sert à prouver que tout « cela lui appartient réellement, et n'est pas une « parure d'emprunt. On croit plus au bien quand on « voit des défauts que l'auteur n'a pas songé à « cacher (1). »

Illa vero Catonianæ orationis et sententiarum imitatione, quæ sæpe Sallustium a vero et recto flexit, potior, ut mihi videtur, et ex omni parte

(1) J. Rinn. Collége de France. Cours de 1854 ; leçon du 8 mars.

laudabilior quæ ad rationem componendæ historiæ pertinet. Quamvis enim mos imitandi veteribus liberior fuerit quam nobis, et Virgilius non pauca ex Ennio, et Lucretio, et Catullo, Tacitus autem totam de morte soceri sui Agricolæ comploratiónem ex Cicerone arripuerit, ideoque in Sallustiana, ut aiebat Lenæus, *furta* non severius sit animadvertendum, tamen facilius extra culpam judicabimus quod non omnino ad ipsa Catonis verba, sed ad longam ejus librorum meditationem et propositi ejus approbationem pertinet. Quare melior mihi Sallustius, quum, *Originum* exemplo, loca, urbes, populorum mores, instituta, res antiquas recenset, quam quum Catonianas voces, vocum constructiones, sententias adhibet, et ad formam ejus orationis suam fingit. Dum enim ex imitatione verborum et censoriæ illius severitatis aliquid, ut dixi, affectati et parum sinceri in ejus scripta devenit, contra non video quid historici libertati et integritati potuerit detrahere quod ad *Originum* rationem libros suos ac præsertim *Historias* conformaverit.

Hic vero occurrit aliquid quod ego jampridem præsensi, quanquam, ne rerum contextum abrumperem, illud in præsens tempus distuli. Creditur enim a multis Sallustium a Thucydide præcipue pendere, nec tantum multas ejus sententias transtulisse in suos libros, multasque verborum compositiones et totum scribendi genus expressisse, sed etiam præcipuum illud scribendæ historiæ exemplar

fuisse secutum. Quæ omnia, ac præsertim quod ad verba et sententias attinet, recensuit in *Prolegomenis ad Thucydidem* vir doctissimus Poppo (1). In ea autem recensione multa jure notata et ab illo fonte certissime profecta non negabo. Cujus modi sunt eæ græcæ constructiones : plebi militia *volenti* putabatur (2); aliis omnibus quæ ira fieri *amat* (3); loca nuda *gignentium* (4); supplicia *in post futuros* composuit (5); *multus instare* (6); et præterea quædam ex ipso sensu magis quam ex grammaticæ legibus scripta : abundantia *earum rerum quæ prima* mortales ducunt (7); *servitia* repudiabat, *cujus* initio ad eum magnæ copiæ concurrebant (8), et alia similia. Insuper, aliquot sententias affert Poppo, quas manifesto Sallustius a Thucydide mutuatus est; et Cæsaris de conjuratis orationem Jugurthæque ad milites adhortationem (9) cum Diodoti (10) et Phormionis (11) apud Thucydidem orationibus recte confert. Quæ quidem demonstrant Sallustium

(1) Lipsiæ, 1821, vol. I, p. 372-381.
(2) *Jug*. 84. Vide quoque 100.
(3) *Jug*. 34.
(4) *Jug*. 79, 93.
(5) *Hist* I, fragm. 49 (Kempf.). Orat. M. Æmilii Lepidi. εἰς τοὺς ἔπειτα γενησομένους.
(6) *Jug*. 84. Thucyd. IV, 22, πολὺς ἐνέκειτο.
(7) *Jug*. 38.
(8) *Cat*. 66.
(9) *Cat*. 51 *Jug*. 49.
(10) Thucyd. III, 28.
(11) Thucyd. II, 89.

in Græcorum scriptis (nam non pauca quoque ex Demosthenis orationibus et ex Xenophonte sibi vindicavit), et præcipue in Thucydidis libris fuisse versatum. Sed quum Poppo ab eo fonte totam Sallustii orationem, totum historiæ scribendæ modum fluxisse judicat, nobis multum a vero recedere videtur. Quod enim ad verba et orationem attinet, præter testimonia veterum quæ attuli, Catonianorum fragmentorumcum Sallustio comparatio abunde docuit multa quæ Poppo græca et ex Thucydide hausta putat, ad Catonis imitationem esse referenda. Huc pertinet ab eo notatus usus adverbiorum pro adjectivis, *frustra fuit, abunde fuit, impune esse*, qui dicendi mos omnino Catonianus est. Item, voces illas *tum demum, tum vero, vero, enimvero*, illis Thucydidis, τότε δὴ, ἐνταῦθα δὴ, οὕτω δὴ simillimas, etiam Cato sæpissime usurpavit. Sed maxime, quum in Sallustio periodorum morem, omissas copulas, fracta membra, verba contrarie relata notat, eum fallit quam totum inde Romanus scriptor ad Catonem se finxerit : cujus rei quum tot exempla attulerim, nullum jam arbitror superesse dubitandi locum. Quanquam autem pauca tantum existant Catonis fragmenta, multo plures sane in iis sententias a Sallustio sumptas repereris, quam quas ex Thucydide Poppo collegit.

Restat ut de instituto historiæ pauca dicantur. Qua de quæstione ea tantum habet Poppo : « Quid? « quod ipsam illam degressionem de primis Roma-

« norum rebus (*Cat.*, 6 et sqq.), quæ, utcunque de-
« fensa a viris doctis, nobis nondum satis apta vi-
« detur, Thucydidis exordio originem debere sus-
« piceris. » Quum autem, præter illud exordium et postea de Themistocle digressionem, nunquam a proposito discedat Thucydides, semperque rerum ac temporum ordinem (1) religiose servet, multo magis in hoc loco totque aliis *Catilinæ*, *Jugurthæ*, *Historiarum*, videtur Sallustius secutus esse morem Catonis, cujus *Origines* ipso proposito quasi perpetua quædam digressio erant. *Historiæ* certe, in quibus toties regionum, fluminum, populorum descriptio rebus admiscetur, severæ Thucydidis rationi nihil simile habuerunt, et potius cum priore illa Herodoti narratione erant componendæ. Quum tamen Cato nomina ducum ex *Originibus* detraxerit, Sallustium in depingendis virorum ingeniis Thucydidis imitatorem fuisse, ejusque vim, acumen, brevitatem optime expressisse fatebor; etiamque suspicabor eum in describenda peste qua Mithridatis exercitus, in obsidione Cyzici a Lucullo, graviter laboravit (2), nobilem Thucydidis locum fuisse æmu-

(1) Notandum etiam Thucydidem non modo per singulos annos, sed etiam per singulas æstates hiemesque facta digessisse, ita ut, ex una re in aliam transiliens, in cujusvis tempestatis fine subsistat, et, inde regressus, eumdem cursum in proxima tempestate exordiatur. Contra ex fragmentis *Historiarum* constat Sallustium, pro cujusque belli ratione, complurium annorum res gestas, arcte inter se cohærentes, continua narratione usque ad eum locum deduxisse, ubi commode posset subsisti.

(2) Kritz. *Fragm.* II, 27, 28, 29. Servius ad Virg. *Georg.* III, 481.

latum. Quare Sallustium Thucydidis studiosissimum fuisse concedam, sed ita tamen ut concludatur eum multo magis, et in oratione, et in sententiis, et in civilibus sensibus historiæque ratione, Catonem retulisse.

Quid Sallustio nocuerit illa imitatio, jam supra dictum, quoniam multa in ejus scriptis facta magis quam nata, et consilium potius quam liberæ integræque naturæ impetum prodentia, multa nimia et virum ex animo scribentem minus decentia occurrere judicavi. Gaudendum autem quod non cuiquam impune liceat boni et sancti viri speciem induere, virtutemque mentiri, quod orationis superciliosa severitate frustra dissimulati mali mores ipsi se arguant, et ubique fiat quod ait poeta :

Eripitur persona, manet res.

Quod vero ad ipsam priscæ linguæ usurpationem attinet, quanquam res Sallustio, ut nostro Courier, non infeliciter cessit, multum tamen periculi habet illa verborum quasi permixtio, quam vix præstantissimi ingenii viri ad bonum exitum perducunt. Sæpius enim inde oritur pessima scribendi disciplina, quæ Frontonis apud veteres, apud re-

« Virgilius in peste describenda ordinem secutus est quem et Lucretius tenuit et Sallustius, primo aerem, deinde aquam, post pabula esse corrupta.»

centiores autem multorum nunc quum maxime vigentium fuit. Isti verba ad insolitos plane novosque sensus flectere volunt, eaque a bono et idoneo usu detorta omnino distorquent et quasi frangunt :

> Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
> Tormenti genus !

Quod quidem supplicium lingua quælibet non impune patitur. Quum autem Sallustius, multa doctrina et arte, egregiique ingenii vi, ab illo vitio satis caverit, tamen, propter illud institutum, nonnunquam ab historica fide plane recessit. Exempli enim causa, quantum oratio Cæsaris in *Catilinæ conjuratione* cum perspicua et recta et venusta dictatoris subtilitate puguet, quis non perspexit ?

Rursus vero non dubium est veterum imitationem non parum contulisse ad virtutes illas toties a veteribus in Sallustio laudatas, proprietatem verborum, brevitatem, vim, plurimum succi et sanguinis, orationisque priscæ simul et novæ gratum aliquem quasi saporem. Et sane crediderim consulto Sallustium a Ciceronis elegantia et copia recessisse, et veterum lacertos potius quam æqualium carnem expressisse. Ciceronis enim imitatores, qui multi fuerunt, ejus orationis lepidissimæ quidem et jucundissimæ, tanta magnificentia, tanta vehementia, tanta rerum ubertate, tam exquisita sonorum suavitate mirabilis, jam fastidium fecerant; nemi-

neimque fugit magnum oratorem non sine aliquo animi dolore, in *Bruto* et *Oratore*, adversus viros atticæ, ut volebant, subtilitatis studiosos eloquentiæ suæ causam defendisse. Sallustii autem consilium non damnavit eventus. Nam magna statim et præcipua ejus fama exstitit, eamque ipsa invidorum confirmavit obtrectatio. Qui vero Catonis, Thucydidis, Demosthenisque fuerat imitator, mox ipse suos habuit imitatores. Præter enim Velleium, et Plinium majorem, et Tacitum, qui magnam sane Sallustii scriptis operam dederant, et non pauca ei similia habent, ex Seneca constat exstitisse, ætate Augusti, scriptores *Sallustianos*, inter quos ille Arruntium, Historiarum belli Punici auctorem, carpit quod « amputatæ sententiæ, et verba ante exspectatum ca« dentia, et obscura brevitas ei fuerint pro cul« tu (1). »

Quanquam autem vitia illa (quibus ipse abundat), et hic et alias reprehendat Seneca, mansit diu ac viguit mos ille scribendi ; mansit gratia Sallustii cum Catonis studio semper crescens. Exstitere tributa rhetori Arrusio Messo ac deinde Corn. Frontoni, Catonis imprimis amatori, Sallustianarum vocum collectanea. Ejus autem scripta in græcum versa

(1) *Epist.* 114, 16. « Sallustio vigente, amputatæ sententiæ, et verba ante exspectatum cadentia, et obscura brevitas fuere pro cultu. Arruntius, vir raræ frugalitatis, qui *Historias belli Punici* scripsit, fuit Sallustianus et in illud genus nitens. »

sunt (1) a Zenobio rhetore, auctore, ut creditur, Hadriano imperatore, ipso vetusti sermonis curiosissimo. Præterea, vel post longam annorum seriem, ejus brevitatem rationemque scribendi sectatus est auctor *Historiæ sacræ* Sulpicius Severus (3), ideo *Sallustius christianus* cognominatus. Profecto non mediocris ille et contemnendus scriptor est, qui tanta sibi studia conciliavit; qui animos nostros, etsi ab eo, propter ejus vitam, alienatos, « immortali illa sua velocitate, » et vehementia, et splendore, et mira narrandi arte ita rapit ac tenet, ut ab ejus libris inviti detrahamur. Neque ego unquam Sallustii *Jugurtham* attigi, quin mihi statim mentem subiret egregia illa et miserabilis Septimii Severi morientis effigies; quum romanus imperator, propter notam filiorum suorum discordiam mæstus, anxiusque futuri, afferri scripta Sallustii, et Micipsæ orationem, gravissimum illud fraternæ concordiæ hortamentum, Caracallæ et Getæ perlegi jussit; scilicet Sallustio novissimarum suarum precum, novissimorum consiliorum interprete usus, atque ipse hæc deficiente voce effatus : « Imperium firmum « Antoninis meis trado, si boni erunt, imbecillum, si « mali. »

(1) Suidas. Ζηνόβιος σοφιστής, παιδεύσας ἐν Ῥώμῃ ἐπ' Ἀδριανοῦ Καίσαρος. Ἔγραψε... μετάφρασιν ἑλληνικῶς τῶν ἱστοριῶν Σαλουστίου τοῦ Ῥωμαϊκοῦ ἱστορικοῦ, etc.

(2) Nat. ad ann. 363 p. Christ.; mortuus anno 406 aut 410.



Vidi et perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. III kal. febr., ann. M DCCC LIX,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus.

J.-VICT. LE CLERC.

Typis mandetur :

Parisiensis Academiæ rector,

ARTAUD.

INDEX RERUM.



